





L 62. 88.  
H











DISSERTATIO HISTORICO PHILOLOGICA  
DE  
ORDINE RERVM CHRISTI  
IN GALILÆA  
GESTARVM

Matth. iv, 12 - Marc. i, 14 - Luc. iv, 14 -

QVAM

AMPLISS. PHILOSOPH. ORD. AVCTORIT.

PRAESIDE

VIRO CLARISSIMO, DOCTISSIMO

DN. JOH. PETR. ANDR. MILLERO

A. M.


A. D. XXII. JUNII MDCCLXX.

ERVDITORVM EXAMINI SVBICIET

AVCTOR

JOHANNES GOTTLOB MÜNSTER

PRAVSNIT. SILESIVS.



HALAE MAGDEBVRGICAE,

Typis STEPHAN. GODOFR. LEHMANNI, ACAD. TYPOGR.



DISSERTATIO HISTORICO-PHILOLOGICA

DE

ORDINE RERVM CHRISTI  
IN GALILAEA

GENITIVAE

MARCI ANTONII MULLERI

AVVA

AMPLISSIMO PHILOSOPHO ORD. AVCTORIT.

FRATRES

ALIO CLARISSIMO DOCTISSIMO

DR. JOH. PETR. ANDR. MILLERO

A. M.

IN VITAE

FRATRES

AVVA

JOHANNES GOTTFRED MÜNSTER

FRATRES

ALIO CLARISSIMO DOCTISSIMO

FRATRES

DR. STEPHAN. GODOFR. LEHMANNI ACAD. TYRON.





ILLVSTRISSIMO

AC

REVERENTIAE

GENEROSISSIMO DOMINO

DOMINO

IOHANNI GEORGIO

LIBERO BARONI

DEVOTISSIMO

AB HOHBERG,

SERENISSIMI ELECTORIS ET PRINCIPIS  
SAXONVM CVBICVLI PRAEFECTO, DYNASTAE IN  
PLAGWITZ, PRAVSNITZ, LAASNIG, HAASEL,  
OBER- ET NIEDER-BOEERBERG, HEIDERSDORF  
ET WEINBERG ETC. ETC.

DOMINO SVO ET MAECENATI

GRATIOSISSIMO

IOHANNES GOTTLIEB WÄNDEL

L.A.



LABOREM HVNC ACADEMICVM VQVALEM CVMQVE

IN  
3A

DEBITAE PIETATIS ET REVERENTIAE  
PVBLICVM TESTIMONIUM

PRO TOT TANTISQVE BENEFICIIS IN SE COLLATIS

SVBMISSA FRONTE

D. D. D.

SIMVLQVE

PERPETVAM FELICITATEM ANIMO DEVOTISSIMO

APPRECATVR

ET

VLTERIORI PATROCINIO

HVMILLIME SE COMMENDAT

TANTI NOMINIS

GRATISSIMO

Cultor additissimus et humillimus

IOHANNES GOTTLOB MÜNSTER.





DE  
ORDINE RERVM CHRISTI IN GALILÆA  
GESTARVM.

---

PROLOGVS.



Cum ex omni sacra scriptura multo longeque plurimum fructus et vtilitatis ad humanum genus redundat, quippe ab ipso Deo profecta, omnisque sapientiae, quae vere dicitur, abscondita penetralia hebetibus etiam oculis aperiente, tum ex iis potissimum libris, quos recte historicos dixeris. Neque enim, quod in maximis benignissimi numinis in nos beneficiis numerandum est, rationibus subtilioribus

A

et



PROLOGVS.

et metaphysicis religio reuelata, eademque sola desiderijs hominum ex  
 asse respondens, nititur, sed factis, quae dicunt, rebus gestis, rerumque  
 euentis, vt de causa, cuius interest omnium, iudicium sit integram  
 omnibus. Atqui historia sacra tum per se rerum gestarum euidentia  
 atque certitudine clarissimo in lumine posita est, id quod requirebatur  
 necessario, vt legatis diuinis auctoritas conciliaretur, tum vero ob li-  
 brorum, quibus continetur, diuinam originem, cuius a primo inde  
 tempore documenta certissima extiterunt, admixtum habere nihil falsi  
 potest. Vt enim consentiunt omnes, qui vbiq; sunt, Deum falli  
 non posse, sic eos, qui, quae litteris consignarunt, a Deo edocti sunt,  
 errare et lobi indignum diuino numine, natura ipsa duce, indicant.  
 Quae cum ita sint: obuiam tamen sunt lectoribus quaedam salebrae,  
 quas praeteruehi, nihil impedito itinere, non nisi optimis mentibus da-  
 tum est. Quid? quum illi ipsi interdum, quorum constat de probitate  
 et in Deum fide, haereant illis in rebus, nefarii autem homines et pes-  
 simi quique insignem calumniandi inde et contra religionem verissimam  
 declamandi materiam repetant, egregie merentur sane de re Christiana,  
 qui serio et sapienter id agunt, vt ne secum ipsi discordare videantur  
 historici diuinitus acti. Eo autem magis ita profus sentiendum est,  
 quoniam vsquequaque laudari solet et efferi eorum opera, qui enixe  
 in id incumbunt, vt illorum auctorum, quos Graecia Latiumque protu-  
 lit, lites et dissensum componant. Quid igitur illi, qui superbo super-  
 cilio despectui fere habent, si qui mouere ad haec aliorum studia et  
 adiuuare nec inuiti labore nec indigno ingenuis animis contendunt?  
 Excusandi fortasse viderentur molesti homines, si historica contemne-  
 rent omnia. Nunc veniam quam, quaeso, impetrabunt, qui cognitio-  
 ni rerum ante actarum ipsi tribuentes plurimum, earumque studio nec  
 modum constituentes, nec inuenientes finem, ab hoc genere historiae  
 nos auocare non erubescant? At enim vix erat, quod ab illorum vitu-  
 perationibus consilium, quod cepimus, cum acquisitae per hos annos  
 doctrinae specimen exhibendum esset, defenderemus. Reperiemus iu-  
 stos rerum arbitros, qui, quum ipsi recta incedant via, hanc certe ope-  
 ram non reprehendent, vel si minus feliciter tractatum a nobis esse stu-  
 diorum hoc genus existiment. Neque etiam postremam partem sacrae  
 historiae illustrandam pro modulo nostro sumimus, sed quae curae  
 cordique esse omnibus ante omnia debet, historiam rerum Christi.  
 Pro-



Prodiderunt eam memoriae quatuor viri, singuli, vt a prima inde aetate inter omnes conlilit, diuino vfi adflatu. Qui li per omnia profus ita concinerent, vt nihil efler negotii, hoc penitus cognofcere, quoniam prope fenfum efler iudicium, profani homines, fiue in vnum eos praefraeto animo conlpiraffe dicerent, fiue ab vno nebulone fanatico deceptos. Iam cum lummam iplam rei vnanimi voce omnes tradant, et in minutis quibusdam diuerlas in partes abire videantur, optima per id iplum caullae conlultum efl. Accuratius autem li quis voluerit perlcrutari omnia, et iplie plurima digere poterit et conciliare, nec de reliquis deiperandum efler cenlebit. Ita, li fat graua adlunt diuinae originis horum librorum argumenta, quae adlunt plurima eadem maximi ponderis, nihil erit, quod ob hanc eorum dilcrepantiam diuinos efler dubitemus. Ac nos quidem, optimis vfi ducibus, nec exigua hac in re collocata opera, polle prope omnia planillime conlci, nihil dubitamus affirmare, modo ne ipli conltingamus leges hiltoriae conlcribendae, quibus Euangelillas temere adlringamus. Nunc autem per angullias temporis, et dilputationum qui lolent efler limites, partem tantum eius rei aggredimur ante oculos ponere, eam tamen fat inlignem et facile difficillimam,

## §. I.

Quamquam omnis vita Iefu Chriili, quam in his terris egit, ab eo tempore, quum, luperatis tentationibus diabolicis, e deferto redur factus efler, magnificis factis et plane diuinis illullrata et lupra omnem humanam fortem elata efl, multo tamen praeclearillimum efl maxime illud tempus, quod poll Johannem in carcerem coniectum in Galilaea peractum illi fuit, donec inflans libi crudellillimum lupplicium et honorificum reditum in vitam dilerte dilcipulis praediceret. Inde factum videtur, vt ex vitae illius lcriptoribus nemo profus omilerit hoc tempus commemorare. Et Matthaeus quidem cum Marco et Luca dignillima quaeque notatu pluribus perlequitur; Johannes vnum certe ex omnibus, quae huc pertinent, mirifice factum enarrat Joh. VI. et quarum fermocinationum inde nata lit occasio, exponit,



ponit, quippe in eo potissimum versatus, ut, quae variis de rebus, quae suppeditata occasione, praetermissa a reliquis, loquutus sit praeceptor ille omnium optimus, litteris consignaret. Qui locus omnis ut in maximo pretio habendus sit, et egregie confirmet, nihil falli, qui in Nazareno Jesu spem omnem fiduciamque collocent, misere tamen diuexauit eos, qui ad conficiendam e quatuor Euangelis historiam continuam et quibusque rebus suum tempus assignandum animum appulerunt. Ac Johannis illam narrationem quo referrent, nihil habebant, quod dubitarent. Prodigium enim illud idem etiam reliqui memoriae prodiderunt, et quidem, quamquam nulla facta mentione sermonis Christi, cuius inde occasionem nactus est, ita prorsus, ut amicissime conspirent. Neque etiam in iis, quae proxime apud Matthaeum siue antecedunt, siue consequuntur illud mirabiliter factum, illorum quisquam rerum ordinem turbare videtur. Sed eo facilius, qui prima in parte huius historiae Matthaeum cum Marco et Luca conferunt, induxerint animum statueret, in tempore falli, aut Matthaeum, aut cum Luca Marcum (qui quidem fere vna incedunt) aut omnes adeo. Nam simillimas res easdemque enarrantes diuerso penitus ordine disponunt. Quae insinulatio quum cadere non possit in eos, quibus suggestit ipse Deus, quae scriberent, quaque ratione, quae scribenda essent, componerent, ut plena scriptis fides haberetur: sublatum iuerunt hanc difficultatem plurimi Christiani homines et doctissimi, ne fraudi esset amplius euangeliorum auctoritati. Eaque res quum nec his temporibus confecta videatur multis, ab aliis autem male videatur composita, quantum in nobis est, dirimere hanc litem, si ita fas est loqui, conabimur. Ac si non omnibus, at iis tamen speramus gratum facturos, qui certam firmamque solent sequi in explicandis sacris libris rationem. Trita autem illa et nostra aetate longe frequentissima incedendum via duximus, ut allatis aliorum, quae extant, sententiis, exponamus, quae dici contra possunt, et tum demum, quam velimus probatam, additis rationibus non contemnendis et ex parte nouis, ut noua nunc omnes crepant, adiungamus. Patrum nomina nolimus, cum possemus, huc adducere. Praestringunt enim tali in causa magis oculos, quam aduertunt. Sed nec eos omnes nominabimus ex recentioribus, qui refellendi sunt, quo facilius declinemus inuidiam.



## §. II.

Nunc, antequam rem ipsam aggredimur, cauendum est, ne obscuri, ne iis quidem, simus, quibus adhuc curae cordique non fuit, quid tradant potissimum ex hoc tempore Euangelistae, quaque ratione singula persequantur. Exhibebimus itaque summam quasi in tabula, primum, quae in Matthaeo leguntur, nihil mutato rerum ordine, quem ab eo factum esse videmus, et additis numerorum signis, quorum vsus qualis sit, fugiet neminem. En res ipsas, prout inter se subsequuntur.

- A. Post Johannem in carcerem coniectum Iesus in Galilaeam proficiscitur, et relicta *Nazareth*, Capernaumi domicilium collocat. Tum praekonii de appropinquatione regni caelorum initium facit.
- B. Cum circa mare Galilaeum versaretur, Simonem et Andream, fratres, Iacobum item et Johannem, Zebedaei filios, sese sequi iubet.
- C. I. Per omnem Galilaeam iter facit, in synagogis docet, aegros, qui adducebantur, omnes sanat, per omnem Syriam celebratur, et ingentem hominum turbam ex omni Iudaico tractu secum habet.
- D. Pro concione populi de monte verba facit, omnibusque sui admirationem incredibilem iniicit.
- E. Leprosum sanat, qui, in potestate eius hoc esse, fidenti animo dixerat.
- F. Capernaumi centurionis seruum paralyticum, ne videns quidem aegrotum, quum herus ipse hoc nihil ad rem attinere diceret, sanitati restituit.
- G. In domo Petri foetui eius febricitanti medetur. Vespertino tempore daemoniaci auxilium fert, fugatis daemonibus, aliosque aegrotos sanat.
- H. Mare Galilaeum traicere cum vellet, litterato homini, qui se ei semper coram adfuturum significaret, quasi deterrens ab hoc consilio, respondet, alium, qui differret in aliud tempus eiusmodi consilium, se protinus sequi iubet.
- I. Tum in itinere maritimo e somno Iesum clamore suscitant discipuli, periculum ingens a procella esse dicentes. Ille, ca-



- stigata suorum dissidentia, paucis verbis mare ventosque cohibet.
- K. Trans mare apud Gergesenos duos daemioniacos infania liberat, quos qui agebant daemones postquam rogauerant, vt in porcorum gregem irruere liceret, praecipitem omnem gregem in mare dederunt. Quo facto Gergeseni monent Jesum, vt de finibus suis egrederetur.
- L. Capernaumum inde reuersus allatum in lecto paralyticum bono esse animo iubet, quippe condonata ei esse peccata. Quod effatum, quum, tacite a Phariseis sibi, veluti blasphemiam, exprobrari, cognosceret, inimicos ita refutauit, vt surgere paralyticum, et lecto sublato domum abire iuberet.
- M. Praeteriens Matthaeum auocat a telonio, et se iubet sequi. Apud eum quum cibum postea sumeret, conuiuio discipulis et publicanis multis, idque cum discipulis Pharisei exposcularent: respondet ipse Jesus tum his, tum Johannis discipulis, qui ieiunia in affectis eius desiderarent.
- N. Hic de magistratu quidam deueneratus illum rogat, vt filiam suam iam iam demortuam imposita manu in vitam reuocaret. Praeuentem sequitur Jesus cum discipulis. In via mulier, quae ex duodecim annis sanguinis fluxu laborabat, eius simbriam vestimenti contrectat, quod saluti sibi hoc fore existimaret. Jesus autem conuersus, bono eam esse animo iubet, fidem illi saluti fuisse. Tum in domo parentis tibicines et turbam hominum secedere iubet, quod dormire puellam, non mortuam esse, diceret. Deridetur quidem, sed tamen, eiecta turba, ingressus puellam prehensa manu suscitauit.
- O. Tum coecis duobus visum restituit.
- P. I. Illico post allatum furdum hominem daemionicum sanat, id quod miratur multitudo, Pharisei autem ope principis daemionum factum esse dicunt.
- Q. II. Ad omnes vrbes et vicos com meat, docet in synagogis et euangelium, regni praedicat, omnibus etiam morbis medetur. Tum vero messiem multam, parum operariorum esse significat, quare orandum, vt dominus messis operarios in messiem emittat.

R. Ad-



- R. Aduocat duodecim discipulos, eosque et potestate contra daemones omnemque morbum et praeceptis instructos dimittit, vt Israelitas aduenisse regnum coelorum edoceret. Ipse inde digreditur, vt in vrbibus doceret et praedicaret.
- S. Johannes e carcere ad Jesum duos e suis discipulis mittit, qui quaerent, essetne ille, qui esset venturus. Jesus renunciari Johanni, quae audirent et viderent, iubet. Qui cum abirent, Johannis coram turba hominum laudes celebrat, eosque castigat, et ludentibus in foro pueris similes esse dicit, qui illud ipsum in Johanne desiderassent, quod in se reprehenderent.
- T. Tum in vrbes inuehitur, vbi sine fructu longe plurima miracula ediderat. Patri publice gratias agit, quod intelligentiam harum rerum negauerit prudentibus, imperitis concesserit: sibi esse a patre tradita omnia, se auxilium allaturum omnibus, qui in miseria versentur.
- V. Discipulos, sabbatho spicas in agro ex inedia vellententes et edentes, a Pharisaeorum vituperatione defendit, ad Davidis et sacerdotum prouocans exempla, seque etiam sabbathi dominum dicens.
- X. In synagoga, vbi erat quidam manum habens tabidam, quaerunt ex eo, an liceret, sabbathis sanare. Ille, quum, ouibus in foveam delapsis recte etiam sabbathis opem ferri, ideoque licere benefacere sabbathis respondisset, homini, vt manum extenderet, praecipit, extensamque restituit integritati. Quo facto Pharisei consilium de tollendo eo capiunt. Jesus autem magna hominum turba stipatus discedit, aegrotis omnibus medetur, eisque, ne se palam facerent, interminatur.
- Y. II. Daemoniacum coecum eundemque surdum sanat. Id quum multitudo miraretur, eumque Dauididem esse, Pharisei autem a Beelzebule esse hanc potestatem dicerent, vberius hos refutat, grauissimeque castigat. Tum vero iis, qui signum ab eo vellent exhiberi, negat aliud signum dari, nisi, quale esset Jonae prophetae.
- Z. Iis, qui dicerent, matrem eius, fratresque foris adesse, respondet, fratrem, sororem, matrem sibi esse, qui voluntatem patris sui coelestis exsequerentur.

A. A. a.



- AA. a. *De nau* Jesus populum in littore adstantem parabolis docet, ex quibus primum ab Euangelista commemoratur, quae erat de quadruplici tellure sementem excipiente. Discipuli mirantes hanc nouitatem orationis, de causa quaerunt, cur parabolis proponeret populo, et responsum hoc ferunt, illis esse datum, ut cognoscerent arcana coelestis regni, reliquis non dari. Fieri nunc, quod in vaticiniis Jesaiæ exret praedictum. Explicat deinde priuatim hanc parabolam. Aliam tum affert de homine bonum semen spargente, alioque, qui erat inimicus illi, noctu malas herbas interserente, aliam de similitudine, quae esset inter regnum coeleste et granum sinapis, aliam de similitudine eiusdem regni et fermenti.
- b. Tum *domum* digressus discipulis parabolam de malis herbis explicat, et alias praeterea addit.
- BB. II. In patria synagoga docet, ut mirarentur ciues sapientiam eius et virtutem, sed vilipenderent, quoniam ignobili loco natus esset.
- CC. Cum perferretur ad Jesum, ad Herodem sui famam peruenisse, seque ab eo pro Johanne in vitam reuocato haberi, in solitudinem nauis concessit, quo eum non mediocri hominum turba sequuta est.
- DD. Hic quinque millibus virorum, praeter mulieres et paruulos, dapem ad satietatem proposuit, cum non haberet, nisi quinque panes et duos pisces etc. etc.

Non est, quod plura e Matthaeco adducamus, quoniam, quae deinceps ab eo commemorantur, nihil habent difficultatis, si ordinem spectes. Breuiiores autem, cum possemus, esse nolimus, quo facilius de similitudine narrationis et diuersitate, quae inter Matthaicum, Marcum et Lucam est, iudicare omnes possint. Nunc vero similiter cum his faciendum est, additis singulis rebus litterarum signis iisdem, quae fecimus similibus rerum, quae a Matthaeco exhibentur. Ita, si pro iisdem plane habendae sint, diuersum ordinem nullo labore perspicias. Marcus haec habet, et hoc ordine sua persequitur.

- A. Post Johannem in carcerem coniectum Jesus in Galilaeam venit, et Euangelium regni diuini praedicat.

B. Cum



- B. Cum circa mare Galilaicum versaretur, Andream et Simonem; fratres, Jacobum item et Johannem, Zebedaei filios, sese sequi iubet.
- A. Capernaunum ingreditur, et proximis Sabbathis in synagoga dosequi. cet, vt omnes eius orationibus obstupefierent.  
In synagoga hominem impuro spiritu liberat, quare maximam sibi omnium admirationem conciliat.
- G. In domo Simonis et Andreae cum esset, Simonis socru[m] febricitanti medetur. Vespertino tempore cum aliis aegrotis tum daemonijs fert opem, vt omnis vrbs ad fores conflueret. Mane, multa adhuc nocte, in *desertum locum*, precandi causa egreditur, vbi, exquisitus a Simone et reliquis, dixit, in adiacentia oppida pergendum esse ibique praedicandum. Tum vbique in Galilaea in synagogis praedicat et daemonia expellit.
- E. Leprosum sanat, qui in potestate eius hoc esse fidenti animo ant. dixerat. Vt ne quidquam *enunciaret*, ei praecipit.
- L. Capernaunum reuersus allatum in lecto paralyticum, perque tectum ad pedes eius demissum, quod per fores prae multitudine hominum aditus non esset, bono esse animo iubet, condonata ei esse peccata. Quod effatum vbi tacite sibi a Phariseis, veluti blasphemiam exprobrari videret, inimicos homines ita refutauit, vt surgere paralyticum, lectoque sublato domum abire iuberet.
- M. Ad mare rursus egreditur, vbi omnem turbam illam secum habet et docet. Praeteriens Lenin, Alphaei filium, a telonio auocat et se iubet sequi. Apud quem quum cibum postea fumeret, conuiujs discipulis, multisque publicanis et peccatoribus, idque velut grande nefas cum discipulis Pharisei exposcularent: respondet ipse Iesus tum his, tum Iohannis discipulis, ieiunia in discipulis Iesu desiderantibus.
- V. Discipulos sabbatho spicas in agro vellentes a Pharisaeorum vituperatione defendit, ad Davidis exemplum prouocans, seque etiam sabbathi dominum dicens.
- X. Capernaumi in synagoga hominem, cui tabida manus erat, ant. quamquam in id intentis Phariseis, vt, si sabbatho sanaret, in iudicium illum vocarent, iubet in medium prodire, et, interrogatis iis, liceretne sabbathis bene, an male facere, extendere manum,



num, quae extensa simul et sanata est. Tum Pharisei cum Herodianis consilium de eo perdendo capiunt. Jesus autem cum discipulis ad mare concedit, ubi magnam multitudinem e Galilaea et omni Judaico tractu, Tyriorum item et Sidoniorum secum habet.

d. In monte creat duodecim Apostolos.

Y. Domi cum esset tanta hominum frequentia septus, ut ne cibo quidem sumendo tempus suppeteret, et litterati homines Hierosolymitani cum Beelzebule ei commercium esse; perque eum daemones pelli dicerent, refutat eos et feverissime castigat.

Z. De matre et fratribus respondet, ut apud Matthaeum.

AA. De *navi* populum in littore adstantem parabolis docet, ex quibus primum illa commemoratur, quae erat, de quadruplici telure, eamque, soli quum essent, discipulis et *Apostolis* explicat, haec praefatus, illis esse datum cognoscere arcana regni diuini, reliquis non item. Tum alia addit metaphorice dicta, item parabolis de regno Dei ita crescente, ut incrementum factum non cadat in sensum quotidie, de similitudinae, quae est inter regnum Dei et sinapis granum.

J. In itinere *maritimo* e somno Jesum suscitant discipuli, et sic ant. porro, ut apud Matthaeum.

K. Trans mare apud Gadarenos daemonicum insania liberat, quem multi vnum daemones agebant, ideoque legionem dici se voluerunt. Illi rogant, ut ne regione expellerentur, sed in porcorum gregem irruere liceret. Quo facto porci omnes in mare praecipites dati suffocantur, quam iacturam aegre ferentes incolae monent Jesum, ut de sinibus suis egrederetur.

N. Cum *navi* redux esset factus, Jairus, synagogae praefectus, ad pedes eius pronolatus rogat, ut filiulam suam manu imposita ab extremo spiritu in vitam reduceret. Abit cum eo Jesus multa hominum turba stipatus. Hic mulier quaedam, sanguinis fluxu ex annis duodecim laborans, a tergo accedens eius vestimentum attingit, saluti sibi hoc fore existimans. Nec perdidit operam. Sed non inscius Jesus huius rei interrogat, quis attingisset vestimenta sua. Quam dum mirantur quaestionem discipuli in tanta turba hominum, eumque reprehenderent, conuerso ad mulierem vultu,



vultu, bono eam esse animo iubet, fidem illi saluti fuisse. Tum e Jairi domo veniunt, qui dicerent, mortuam eius esse puellam, ne frustra negotium exhiberet Magistro. Quo audito Jesus in fide eum confirmat nec quemquam patitur sequi, nisi Petrum, Jacobum, Johannem. Tum in domo parentis quum offenderet tumultum, flentes item et multum plangentes, vetuit hoc fieri, quod negaret, mortuam esse puellam, sed dormire, nihilque motus, quod irrideretur, eiectis omnibus cum patre et matre suisque ingreditur et puellam, prehensa manu, voce resuscitat.

- BB. In patria synagoga docet, vt mirarentur ciues sapientiam eius et virtutem, sed vilipenderent quoniam ignobili loco natus esset.
- R. Advocat duodecim discipulos eosque potestate contra spiritus sequ. impios et praeceptis instructos emittit.
- CC. De rebus Jesu etiam ad Herodem regem perfertur, qui, eum pro Johanne in vitam reuocato, cum alii alium esse dicerent, habere mallet.
- CC. Cum Apostolis ex itinere reducibus in desertum locum nauit. ant. concedit, vt soli essent et requiescerent. Sed nihilo tamen fecius magna hominum multitudo eo vndique confluit.
- DD. Hic quinque millibus virorum dapem vberissimam proposuit, cum non haberet, nisi quinque panes et duos pisces.
- Supereff Lucas, qui, quae prodidit ex hoc tempore memoriae, hoc ordine exhibet.
- A. Reuersus Jesus in Galilaeam celebritatem nominis maximam consequitur. Nazarethae in synagoga Iesaiam cuidam loco, in quem inciderat, vel eo ipso die satisfactum esse docet. Mirantur quidem ciues eius gratiam orationis, sed displicebat, quod fabri filium esse crederent. Tum Jesus seuerissime castigat eorum mores, ita, vt illi ira concitati ex vrbe eum protruderent, et eiectum e petra praecipitem dedissent, nisi fuisset sibi ipse saluti.
- A. Capernaumum deuenit, Sabbathis docet, vt omnes orationibus eius obstupescerent.
- In synagoga quendam liberat impuro spiritu, quare maximam ant. sibi famam comparat. Marc.



- G. E *synagoga* digressus foerum Simonis grauiissima febris affectam, eumque sol occidisset, delatos ad eum omnes aegrotos, manu imposito, sanat et daenomiaciis multis auxilium affert. Postridie mane in solitudinem egreditur, vnde, quamquam rogatus a multitudine, quae eum exquisitum exierat, vt secum maneret, ad alia oppida pergit, et in *synagoga* Galilaeae docet.
- B. Ad *stagnum* Gennēsareticum quum premeretur ab hominum multitudine, duasque naues videret, alteram ex his, quae Simonis erat, conscendit, vt ex illa ab littore paululum summotam doce- ret populum. Postquam finem fecerat loquendi, Simonem ad capiendos pisces nauem educere iubet, quod ille vbi fecit, quam- quam tota ante nocte operam perdiderat, tantam vim cepit piscium, vt alterius nauis rectores aduocandi essent, et vtrum- que nauigium completeretur, vixque ferre onus posset. Obstipe factus miraculo Simon cum suis, Jacobo item et Johanne Zebe- daei filiis, ad genna Jesu procidit, oratque vt se peccatorem re- lineret. Ille vero abiici timorem iussit, ab hoc tempore ho- mines eum capturum esse. Tum illi, deductis in terram nauibus omnibusque relictis, Jesum sequuntur.
- E. In vrbe quadam eum esset, leprosum sanat, qui in potestate eius sequi. hoc esse fidenti animo dixerat. Vt *ne* quidquam *enunciaret*, ho- mini praecepit.
- Cum magis magisque eius fama percrebuisse, magnaue homi- num turba conflueret, vt audirent eum et sanarentur, in *deserta loca* sese subducit et precibus dat operam.
- L. Allatum in lecto paralyticum et per tectum prope eum demissum, quoniam prae multitudine hominum per fores aditus non esset, de peccatorum remissione certiore fecit. Quod vbi a litteratis hominibus et Phariseis vitio verti sibi cognosceret, inimicos ita refutat, vt surgere paralyticum iuberet et lecto sublato domum abire.
- M. Tum in via quum esset, auocat Leuin publicanum a telonio, et se iubet sequi. In cuius domo eum cibum sumeret, conuiuiis publicanis multis et aliis, idque discipulis a litteratis et Phariseis opprobrio daretur: respondet ipse Jesus tum hac de re, tum hoc in- terrogantibus, cur non pariter eius discipuli, atque Johannis, ie- iunia exercerent et preces effunderent.

V. Disci-



- V. Discipulos Sabbatho secundoprmo spicas in agro vellentes et ant. edentes a Pharisaeorum vituperatione defendit, ad Davidis exemplum prouocans, seque etiam dominum Sabbathi dicens.
- X. Alio sabbatho in synagoga hominem, cui tabida manus erat, quamquam in id intentis Pharisaeis, vt, si sabbatho sanaret, in iudiciu illum vocarent, iubet in medium prodire, et interrogatis iis, liceretne sabbathis bene, an malefacere, extendere manum, quae extensa simul et sanata est. Tum Pharisaei vecordia abrepti consultant inter se, quid illi facerent.
- d. Egressus in montem precandi causa, quum noctem precibus consumsisset, e discipulis suos duodecim seligit, quos et Apostolos ipse vocauit. Tum in locum campestrem descendit, vbi discipulorum turba et magna hominum multitudine circumdatur, qui ex omni Iudaea et Hierosolymis, Tyro etiam et Sidone ad eum confluerant.
- D. Ad discipulos conuersus pro concione verba facit.
- F. Cum reuersus esset Capernaumum, centurio quidam senatores sequi. Iudaeorum ad eum mittit, qui rogarent, vt seruum sibi carum a morbo capitali liberatum veniret. Sed prope eius domum iam facto mittit obuiam centurio amicos, qui suis eum verbis monerent, ne molestiam sibi faceretur, si domum suam ipse veniret, sed vel absens dicto seruum sanaret: quod quidem, vt creditur ille, factum est.
- Postmodum Naine mortuum hominem, cum iam efferretur, in sequi, vitam reuocat.
- S. Johannes duos e discipulis suis ad eum mittit, qui quaerent, essetne ille, quis esset venturus. Jesus renunciari Johanni, quae viderent et audirent iubet. Qui cum abiissent, Johannis coram turba laudes celebrat, et *Pharisaeos* et *legis studiosos* castigat, eiusque aetatis homines versantibus in foro pueris similes dicit, quod illud ipsum in Johanne desiderassent, quod in se reprehenderent.
- Inuitatus a *Pharisaeo* quodam, vt cibum cum eo sumeret, in ant. domo eius discumbit. Quo tempore quum pedes suos pateretur a muliere, quae male hucusque, nec immerito, audiebat, lacrimis madefieri et unguento perungi, indeque *Pharisaeus* secum vim in



eo esse propheticam negaret, Jesus *parabola* quadam eleganti, quod fecerat, defendit.

Tum peragrat vrbes et vicos, praedicatque euangelium regni divini, duodecim discipulos et mulieres quasdam secum habens.

AA. Cum magna multitudo hominum ex omnibus fere locis ad eum ant. confluxisset, *parabolam* docet de quadruplici tellure sementem excipiente, eamque discipulis, quibus datum esse dicebat cognoscere arcana regni diuini, reliquis non item, explicat.

Z. De matre et fratribus ita fere respondet, vt apud Matthaeum.

J. In itinere maritimo e somno Jesum suscitant discipuli -- et sic porro, vt apud Matthaeum et Marcum.

K. Trans mare apud Gadarenos daemoniacum infania liberat etc.

N. Reducem ex itinere Jairus ad pedes eius pronolutus, rogat, vt eum domum veniret. Habebat enim filiam duodecim annorum, quae iam iam mortua erat. Abit cum eo Jesus multaque hominum multitudine premitur. Hic mulier, quae ex duodecim annis sanguinis fluxu laborabat, a tergo accedit, eiusque vestimentum tangit, et extemplo liberatur morbo. Non inscius rei Jesus interrogat, quis sese attigisset. Negant omnes. Petrus autem reprehendit Magistrum, quod hoc interrogaret, quum se videret pressum vndique ab hominum turba. Mulier autem, vbi se videt latere non posse, tremens venit, remque confitetur. Jesus bono eam esse animo iubet, fidem illi saluti fuisse. Tum ad Jairum ex eius domo venit, qui moneret, ne frustra negotium exhiberet Magistro, quippe mortuam esse filiam eius. Jesus autem, confirmata patris fide, domum eius pergit, vbi quum omnes offenderet flentes et plangentes, hoc fieri vetuit, quod negaret mortuam esse, sed dormire. Irridetur quidem, sed nihil commotus, eiectis omnibus, puellam prehensa manu suscitavit.

R. Conuocat duodecim discipulos. eosque et potestate contra daequ. sequ. mones morbosque et praeceptis instructos emittit.

CC. Audit de rebus Jesu Herodes tetracha, dubitatque, cum alii alium esse eum dicerent, quis tandem ille esset, et videre eum cupit. Ille vero eum Apostolis *ex itinere reducibus* in desertum locum, Bethsaida, clanculum concessit, quo tamen nihilominus multa hominum turba confluit.

DD. Hic



DD. Hic quinque circiter millibus virorum dapem ad satietatem proposuit, cum non haberet, nisi quinque panes duosque pisces. Tum interpositis aliis rebus, quae nemo existimauerit ad hoc tempus pertinere, eandem narrationem affert Lucas IX, 57. quam supra ex Matthaeo *signo* H. adposito delineauimus, item vltius infra XI, 14. [quae supra Matthaeus et Marcus Y. alia praeterea, praecipue ex orationibus Christi.

## §. III.

Hinc antequam progredimur, monendi lectores videantur, si possimum, qui neglexerunt fere haec studia tractare (vt nunc multi, quod mirere, theologi aliena quaeuis deamant, sua nihil curantes) hi monendi sunt, vt semel iterumque perlustrant, quam descripsimus tabulam, cumque libris ipsis Euangelistarum diligenter conferant. Ita facillimum erit, diiudicare, quales simus omni hac in causa, quam nihil festinanter et temere, nihil, vt speramus, ex praedicata sententia, nihil ita, vt aliorum captemus beniuolentiam, aliis aduersum studiose teneamus, nihil, inueteratis errorum opinionibus dediti quod simus, nihil denique ex pruriente nouarum rerum cupiditate atque libidine, decantemus, dataque opera, multa simulantes et dissimulantes, euntibus, manum pro trutina habentibus, exponamus. Fuit enim propositum nobis, verum inuestigare, aliorumque subiicere iudicio, nec quidquam praeterea. Qua in re quum eam ob causam his temporibus multi parum proficiunt, quoniam, non certis firmisque rationibus, sed ea, quae nunc inualuit, sentiendi consuetudine variabili et leuitate quaeque metiuntur, id hoc modo dedimus operam cauere, vt Deum ipsum federe iudicem omnium sedulo meminissimus, ideoque circumspicte et considerate in iis etiam faciendum esse statueremus, quae, siue prope siue longe absint a vita et moribus, sunt tamen arctissime cum omni religione coniuncta, et per se eiusmodi, in quibus exerceamus officium. Nec vero inde hoc fit, vt magis deceat, dubium haerere et cohibere assensum, quam, quid prorsus statuendum sit, definire. Pendere enim hoc omne ex argumentis debet, quae si sint eiusmodi, qualia sunt illa, quibus firmiter niti nobis videmur aliis in rebus, nae minus sincero candidoque animo assensum continuerimus.

## §. IV.



## §. IV.

Nunc, age, de re ipsa videamus, quem ordinem sequuti sint Euangelistae his in rebus enarrandis. Hic primum occurrit ea ratio, quam vetus ignoravit aetas, eo autem magis recentiores vrgere solent, propositam hanc fuisse legem illis scriptoribus, ut omnia ita prorsus referrent, quemadmodum inter se subsequuta sunt, nec quemquam eorum, ne in minimis quidem rebus, quidquam in oratione praemittere iis, quae iam ante facta erant. Quae sententia si argumentis niteretur idoneis, et iis quidem ex ipsis euangeliis depromtis, absit, ut a nobis vel ad momentum in dubitationem vocetur. Iam cum hanc velint legem praescriptam omnibus historicis, qui quidem probandi sint, nec nisi inde robur dictis addant, canendum est, profecto, ne, facili errore abrepti, rei optima male consulamus. Quid? nemini licere historico, quidquam rerum gestarum, alio ordine edisserere, atque erat is, qui re ipsa, hoc est, iis rebus, quae siue praecesserunt, siue subsequutae sunt, desinebatur. Dicamus hunc ordinem, eodem nomine, quo alii, *temporis*, ut ne sit opus verborum ambagibus. Et eum quidem ordinem sequi prorsus in omnibus rebus enarrandis, necessarium esse negamus, vel si quis ad optimi historici nomen adspiret. Exempla huius rei, non opus est, ut e veteris Graeciae Latinae scriptoribus, qui creduntur instar omnium esse, afferamus. Annalium quidem conditoribus, et multo magis iis, qui diaria rerum exhibent, hunc ordinem, nisi propositum abiicere velint, deserere non licet. Sed tamen illi ipsi interdum, quo commodius ea, quae re, non tempore, iuncta sunt, intelligantur, ab eo ordine recte discedunt. Quanto igitur minus eos etiam accusare poteris neglecti huius ordinis, quos cepisse eiusmodi consilium nec constat, nec probabile est? Nec est, quod quis obiiciat, nullam recte scribi historiam posse, omisa omni temporum notatione. Neque enim nos ii sumus, qui hoc induxerint animum negare, sed in omnibus prorsus rebus enarrandis seruandum fuisse temporis ordinem a singulis Euangeliorum scriptoribus, quis inde efficiat? At enim erunt fortasse, qui, si non omnes omnino historicos hac lege de temporis ordine vsquequaque diligentissime obseruando, at eos tamen teneri existimant, qui de vita excellentium virorum exponere voluerint. Qua in causa facile concedimus, summam ipsam rerum non aliter commode tractari, ideoque

non



non congruum esse, res gestas enarrare primum, deinde de obitu dicere, tum quibus parentibus quisque natus sit, post, qua ratione, quum ante auctoritate et gratia multum valeret, in odium inciderit omnium. Sic pariter hoc libenter damus, si res gestae, per se suaque natura, nexu quodam inter se iunctae sint, aut si sint magnificae quidem, sed parum numerosae, non nisi temere hunc ordinem relinqui. Sed fac esse de rebus multo longeque plurimis, iisque nihil aliis cum aliis cohaerentibus, dicendum, nec pariter possis ex hac lege elegantiam narrationis suspendere. Juvat saepe res ipsas cognoscere, tempus, quo quidque gestum sit didicimus, nihil curare. Si licet exigua comparare maximis, quod nunc, nescio, iure, an injuria, nostris etiam hominibus perplacere video, pro exemplo afferri merentur, ut alia omittam, *Xenophontis*, quae extant, *Ἀπομνημονεύματα*, quae nemo optime scripta esse negauerit, nec tamen, cum sint historice scripta, dixerit ad hanc legem, quam omnibus historicis datam nonnulli volunt, exarata. Quis vero magis necessarium fuisse Evangelistis existimet, temporis ordinem in rebus Christi edisserendis studiosissime persequi, cum satis sit nobis superque, scire, haec tanta et talia extitisse facta Nazareni Jesu, vel si incognitum prorsus et aeternis oppressum tenebris esset, quae aliis posteriora, priora aliis fuerint. Ita satis effectum dedisse videmur, non ex ipsis historiae conferendae legibus hoc fieri, ut statuendum sit, de tempore rerum gestarum ubique sollicitos fuisse vitae Christi scriptores, eorumque quasi detrahi auctoritati, si quis, antequam aggressus sit eorum volumina accuratius perlustrare, habeatne res ita, an contra, dubitauerit. Sunt itaque aliunde rationes petendae, quibus diiudicetur haec quaestio: nisi temere admodum pronunciare voluerimus. Nec vero licebit ad diuinam euangeliorum originem, quam nemo in dubium vocauerit, confugere, ut enarrationes, illas rerum penitus diuinarum de tempore in tempus ad amissum pergere, doceamus, quod, Deum omnium omnino rerum scientissimum esse, inter omnes constet. Ita fere faciunt, qui nihil distincte et accurate diiudicantes, bonum quidem animum ad hanc rem afferunt, intelligentiae et consilii parum. Fugiat sane Deum nihil quidquam ex omnibus, ut est in eo cognitio perfectissima omnium, quae ubique sunt et geruntur, quippe qui praesentissimus ubique adest, adeoque tempora quibusque rebus, antequam fierent, praeslituit, qui, quaelo inde hoc fit, ut historici sacri, qui diuino numine scribentes

C

age.



agerentur, diligentissime temporis ordinem consecrati sint. Illi ipsi, vel si optime tenerent illarum inter se rerum consequentionem, habere poterant, nihil impediante numine, cur ab hac via interdum deflecterent; quodsi vero minus haberent cognitum, quid prius gestum sit aliis, alia exceperit, eratne, cur Deus etiam hoc ipsum suppeditaret, an vero in eius arbitrio repositum? Quis quaelo mortalium desinuerit, qualia deceat esse in his consilia summi numinis? Requiritur hoc a diuinis scriptoribus, et recte quidem, vt nihil aberrant ab eo, quod verum est, in scribendo, nec in errorem nos inducant, si quidem considerate et diligentissime, vt par est, voluerimus eorum omnia, quae extant, scripta; illud nemo ab iis requisierit, vt nihil nec ipsi nesciant, nec nos latere patiantur. *Quae cum ita sint: nec omnino boni historici prorsus est, nihil unquam a temporis ordine discedere, nec vero magis eorum fuit, qui diuinitus acti libellos historicos consecerunt.*

## §. V.

Non poteramus supersedere hac disputatione, eamque nec paucis expedire licebat, quoniam ita strenui fuerunt eius sententiae defensores, vt vel nefas esse dicecerent, contra sentire. Sed enim consequens huius disputationis quis iam hoc esse dicat, vt temporis ordinem in narando euangeliorum scriptores sequutos esse *negemus*? Nam nunc de facto, non de iure, quaeritur, quae quidem res diiudicari aliter nequit, nisi rationibus ex ipsis Euangeliis repetitis. Ac nos quidem in praesenti de iis tantum rebus laboramus, quae ante descripsimus. Hac in causa vt recte versetur, tenendum ante omnia est, vt, cum de triumuiris, Matthaeo, Marco et Luca dicendum nobis sit, Johannes in censum non veniat, ne duplicem quaestionem pro vna, eaque simplici, temere habeamus, *Vna* haec est, an tres illi, omnes ac singuli, alius aequae atque alius, accuratissime his omnibus in rebus pertractandis temporis ordinem consecrati sint? *Altera* hunc in modum habet: an, si non omnes, at tamen vnus alterue sua ad hanc regulam digesserit? Fieri enim potest, vt, si vel maxime sit illud negandum, hoc tamen, subductis rite rationibus, concedendum videatur. De his itaque nunc videndum est, et primum quidem illud, an ab omnibus omnino omnia ad temporis ordinem reuocata sint.

## §. VI.



## §. VI.

Hic ab initio statim rectifamus, quo minus hanc quis nobis affingat mentem, quasi ne illa quidem persuasi simus ita ab Euangelistis tradi, vt inter se subsequuta sunt, quibus addiderunt ipsi temporis notationem et indicium. Neque enim si nos sumus, quod serio testatum iterum iterumque volumus, qui quidquam mentitos in scriptis suis hos viros putemus. Sed id pariter monendum videtur, ne forte hoc ipsum fit cuiquam pro temporis indicio, quod hoc potius ordine, quam alio, pergit oratio, neu hac in causa e vernacula lingua et aliis occidentalibus quarumdam dictionum ebraeograecarum notiones definiantur, id quod vsu multis venire solet ex ignorantia hebraicarum litterarum. Qua de re erit fortasse infra dicendi locus. Iam vero, quod in quaestionem venire primum debet, omnes ac singuli Euangelistae ad hanc regulam libellos suos omnino composuisse non videntur, idque quibus rationibus velimus intelligi, nunc edisserendum est. Respice, lector tabulam, quam hunc in vsum confecimus, nec, illa perlustrata, si quidem bene aduertere animum volueris, nec ante definire, quod nonnisi e libris ipsis discendum est, quidquam tibi erit, quod ita profus rem habere, dubites. Sed, vt tarditati nonnullorum succurramus, qui, verendum est, ne cupiditate nimia in contrarium nitantur, age, distincte et accurate, breuiter tamen, id ipsum doceamus.

*Vnae sunt res, eademque, quibus eadem litterarum signa praefiximus.* Hoc vt penitus cognoscatur, considerandum est, quibus in reliqua historia indiciiis, notis et criteriis, vnam eandemque rem a diuersis scriptoribus commemorari, iudicemus. Neque enim profanum est, sed vel maxime religiosum, ratione bene sana in legendis sacris litteris vti, quam quidem ipse Deus, si rite versetur in omnibus, adiuvat. Nec vero requiritur, vt, sicubi existimandum sit, eadem profus esse, quorum a pluribus fit mentio, adiecta sit temporis notatio ab omnibus, nihil ab alio, cuius tandem cuique sit momenti et ponderis, omisium sit, ab alio additum, nihil denique ab alio aliter enunciatum. Quod si eiusmodi ob causam nemo vquam nec in profana historia, nec in reliqua sacra, diuersa esse suspicatus fuit, quorum est tanta similitudo, vt bis idem accidisse vehementer suapte natura miretur animus: quid est, cur licere existimes, contra sentire in rebus Jesu Christi? Num in



de quidquam utilitatis et fructus, si Deum procurasse putes, ut simillima eademque, tum quidem, bis euenirent, et quidem perbreui interiecto tempore? Nam sine numine quodam qui tanta repeti similitudo rerum possët, in quibus multo plurima, natura incorrupte et integre indicante, casura aliter erant, nisi causa subesset, cui consilium et ratio inest? His autem temporibus non solum vsum nullum et fructum, sed potius incommodi plurimum et noxae affert haec sententia; quam in auxilium aduocandam necessario dicas, vt ne secum pugnare videantur diuini historici. Nihil est, quod dicunt, possibile tamen esse, non pugnare, si easdem omnino res bis fieri cogites: quasi vero de metaphysicis, non de historicis ageretur. Contradictionem, vt loquuntur, inesse quis dixerit? Sed prorsus non respondere tale commentum iis, quae ex omni historia et experientia cognita et comperta habemus nemo ne mediocriter quidem doctus negauerit.

At vero non omnino caligant ad haec ii, qui, vt temporis ordinem in omnibus curae Euangelistis fuisse, ostendant, non frustra quidem (faciles enim hac in re multos inueniunt) sed tamen inuenisse laborant. Neque enim omnia, quae a duobus tribusue vitae Jesu scriptoribus litteris consignata sunt, bis euenisse aut ter existimant, probe scilicet intelligentes, quorsum id serpat, sed ea tantum, quamquam non pauca, quibus temporis ordinem, quem tantopere defendunt, turbari, si non nisi semel euenierint, vident. Reliqua, siue sint eodem prorsus modo narrata ab omnibus, siue etiam non parum diuerso (velut, quae in tabula signo K. apposito descripsimus) quod tamen magis curandum videbatur, quam temporis ordo, quem nulla ratione hic ab euangelistis exigas, ne in mentem quidem venit iis duplicare. Dolendum est profecto, tam mire versari etiamnum hac in causa plurimos, vt, quo tempore, penitus esse omnia illustrata, omnes clamant, prope nihil profecisse publice videamur. Quid enim pauculorum mens melior ad repellendam profanorum hominum inuidiam valet? Nec vero tantum res singulas eum in modum multiplicare non verentur, sed nonnumquam seriem integram earundem rerum. Sic, postquam, ob temporis ordinem Euangelistis omnibus vindicandum, Matthaeum publicanum Matth. IX, 9, a Leuin Marc. II, 14, Luc. V, 27, diuersum esse significauerunt, duplicant omnem compagem illarum rerum, quas signis L. M. complexi sumus. Sic pariter iis faciunt, quae, plura quum sint, vna nota S. comprehen-



prehendimus. Qua interpretandi ratione quid potest inueniri magis tortuosum, asperum, durum, a quo maiorem in modum abhorret animus, sua ipsius natura (quam a Deo acceptam habet, vnde fraudem nullam expectes) ita comparatus et constitutus, vt reiicienda talia censeat. Quamobrem magnopere hortamur et rogamus, vt adeant ipsos fontes, vt legant relegantque haec omnia, qui suo vti his in rebus iudicio malunt, quam, oculis quasi capti, sequi, quemcumque fortuna ducem obulerit. Longioribus nobis quidem in tanta siue spatii, siue temporis angustia, hic non licet, quippe alia praeterea habentibus, quae vltiorum tractationem sibi vindicant.

Quodsi sunt vnae eademque res, quibus eadem supra litterarum signa apposuimus, necessario consequens est, vt *negandum sit, per omnia omnino omnes Euangeliorum scriptores temporis ordinem seruasse*. Neque enim eadem omnes semper eodem ordine exhibent. Ne videamur cuiusquam deesse vel tarditati vel inertiae, addimus exempla, vbi hoc ipsum apprime elucet. Sic, ab initio statim huius sectionis, quae tractationi nostrae proposita est, quae vna narratione Matthaeus complectitur, ea quasi diuidit Marcus, interserens, quae apud Matthaeum post sequuntur, ita vt signa apud Matthaeum sic habeant: A. B. apud Marcum hoc modo A. B. A. apud Lucam vero vel inter A et B (in quo etiam vberior Lucas Matthaeo et Marco) positum sit, quod multo post Matthaeus, Marcus proxime affert. Magis etiam aliena sunt ab ista sententia, quam numquam vellemus excogitatum, quae, quum apud Matthaeum recta litterarum consequentione signata a nobis sint, apud Marcum et Lucam mutatum penitus litterarum ordinem requirebant, et apud Lucam quidem hunc in modum: E. L. M. V. X. (D.) F. S. (AA.) Z. (J. K.) N. R. Haec si cui parum satisfaciunt, vt ita rem habere existimet, adiciat, quae post Bengelium scripsit nostra memoria hac de re Bertlingius †, vir optimus et satis doctus, qui, quam confecit Euangeliorum harmoniam, probabiliorum redditorum erat, si suis ipse regulis et legibus accuratius parauisset, nec plus iusto indulsisset coniecturis, vbi his adminiculis res facile carebat.

† D. Ernst August Bertlings neue Harmonie der Evangelisten 4. Halle 1767. Cap. 11. §. 4. --- p. 20. ---



## §. VII.

Sed dicat quis, in tanta rerum multitudine et varietate fieri tamen interdum, vt, si non multa, pauca certe quaedam occurrant, quae, quamquam similitudine quadam inter se respondeant, non sint prorsus eadem. Ac nos quidem generatim concedimus, eiusmodi sententiam fanis rationibus non solum non repugnare, sed magnopere consentaneam esse. Quid? Inueniuntur eiusmodi nonnumquam apud eundem Euangelii scriptorem (sed additis etiam diuersi temporis aut loci notationibus) quem bis eadem narrare, quae non nisi semel euenerint, non possis sine temeritatis crimine opinari. At vero cum, quae supra attulimus, diuerso ordine disposita ab Euangelistis, non liceat omnia conduplicare, ideoque certissimum sit, non prorsus de tempore in tempus duci ab omnibus Euangelistis narrationem rerum: ne semel quidem licebit, hanc vnā ob causam, quoniam alius est apud alium ordo, quidquam saepius numerare, quod habet vnitatis omnes numeros, si rectam rationem sequi volueris. Peccasse videtur hac in causa vel ipse Bertlingius, qui, vt, quae commenta satis operose excogitauerat, deferere ne cogeretur, conduplicat nonnulla, quae semel posita satis elegantem fieri texturam patiebantur. Iterum sanatum a Christo leprosum quemdam dicit Matth. VIII, 1, alium fuisse Marc. I, 40. Luc. V, 12, qui tamen vterque iisdem prorsus verbis medicum alloquitur, idemque prorsus fert responsum. Iterum emissos Apostolos Marc. VI, 17. Luc. IX, 1, (primum Matth. X.) quod Matthaeus non omisurus erat commemorare, ipse ex Apostolis, idemque alias non negligens distinguere, si quae similia inter se bis accidisse nouerat. Iterum allatas eadem parabolas, iterumque discipulis explicatas Matth. XIII, de quo nos infra vberius. Sunt praeterea, quae non tam ob alium locum, quem in aliis Euangelis tenent, quam ob diuersitatem narrationis, satis idoneam, quae imponere imperitis possit, a nonnullis pro diuersis venditata sunt. Quae quum ne illos quidem, qui accuratissimi volunt videri hoc in negotio, turbare nunc soleant, lubenter omittimus, non veterem recocturi cramben, sed ea curantes, quae nostra aetas non facile agnoscit. Vnum praetereundum non est, quid de orationibus Christi, quas bis volunt habitas esse, sentiendum videatur. Illud quidem omnino certum debet esse et indubitatum, iterum iterumque multa praecepta ab isto praeceptore



ceptore repetita esse, idque non inde solum, quod singuli Euangelistae, nonnulla saepius esse dicta, accurate tradunt, sed vel eam ipsam ob causam, quod grauiissima quaeque et maxime necessaria, vt penitus animis infixi haerere, saepius reuocanda erant in memoriam, et repetitis vicibus inculcanda. Tantum abest, vt hoc velimus negatum, vt potius multa, quae semel aut bis, nec amplius, leguntur in Euangelis, saepius allata esse a Magistro optimo, non immerito suspicemur. Nec fere quemquam arbitramur fore, qui secus hac de re statuendum existimet. Ita superuacaneum est, quod multi illud ipsum, quasi cuiquam incognitum aut male tractatum, tanta verborum copia edisserunt et exornant, vt loquacitatis crimen non possint effugere. Sed inde si fieri hoc dicunt, vt liceat longissimas orationes Christi, quarum erat varium argumentum et multiplex, duplicare, cum non nisi semel commemorentur a singulis Euangelistis, nec in definita quaedam tempora, eaque, nisi vim inferre eorum verbis velis, diuersa, ab iis referantur, non pariter, nihil reclamantibus rationibus sanis, concedere in eorum sententiam possumus. Ex hoc genere illud est, quod, non vnam esse eandemque orationem Christi, contendunt, quam Matthaeus Cap. V. VI. VII. Lucas VI. 20. .. memoriae mandauit. Prudentibus illarum rerum iudicibus, nec ab initio statim cupidis contrariam in partem, satis erit, vt vnam esse agnoscant, legere, aut, si placet, iterare lectionem. Idem est apud vtrumque initium orationis, idem finis, idem vtrobiusque argumentum, et id quidem eodem ordine, eodem modo peroratum, si ab eo discesseris, quod est narrationis et verborum quaedam diuersitas, et praeterea non pauca in Luca desiderantur, quae Matthaeus habet, nonnulla vicissim in Matthaeo, quae habet Lucas. Quae dissimilitudo exigua in tanta similitudine ne forte fraudi sit aut Matthaeo, aut Lucae, nec ansam quaeque fingendi suppeditet ijs, quibus vnum prope illud curae esse videtur, vt ne temporis ordinem unquam neglexisse videantur scriptores rerum Christi memorabilia, adnotationibus quibusdam eam rem illustrabimus. *Primum* probe sciendum est, non Graece loquentem esse Jesum, ideoque de hebraico vertendum fuisse hic Euangelistis. Quis vero hoc ab iis postulauerit, vt iisdem vterque verbis in versione vteretur, modo rem ipsam rite exprimerent? *Deinde* ex intima hebraeae linguae et hellenisticae, quae inde deducta est, indole quaedam huc pertinent, quae accurate nosse oportet interpretes, nisi



nisi vsquequaque nodos in scirpo quaerere voluerint. Duplex est in linguis Graeca, Latina, Germanica et aliis occidentalibus historicorum stilus, si dicendum est, quid loquuti sint ii, quorum interest dicta nosse. Sine enim inducantur quasi ipsos loquentes, siue, quid loquuti sint, suis quisque verbis narrant. Ille *directus*, hic *relatiuus* stilus audit, et *alter* quidem *ab altero facile dignoscitur*. Relatiui exempla stili quamplurima, si cui obscura haec sunt, legi possunt praecipue in Commentariis J. Caesaris. Simplicior est Ebraica lingua, nec parem varietatem loquendi scriptoribus historicis permittit. Vnus est in asserendis etiam dictis aliorum *directus* stilus, et omnes, quasi agatur res, non quasi narretur, loquentes ipsi inducantur necesse est. Sed tamen, quod est maxime tenendum eadem sunt concessa iura *directo* huic stilo, quae aliarum linguarum *relatiuo*, vt interdum ferme diuinatione sit opus, si velis diiudicare, quid *suis* verbis ex aliorum sermonibus enarrent historici, quid iis *ipsis*, quae fuerunt eorum, de quibus agitur, repetant. Ita mira breuitate passim vtuntur in delineandis orationibus aliorum, et suo quidem iure, Ebraei auctores, dum, prout videtur, omittunt, quorum facta tamen fuit mentio ab eo, cuius commemorant orationem, alia, quae copiosius dicta fuerunt, paucis stringunt. Illud idem licet Graecis et Latinis, si *relatiuum* adhibent stilum, non item, si *directum*. Non sumus nos ii, qui quasi ex tripode dicta haec accipi a lectoribus velint. Consentient nobiscum ii, qui non sunt peregrini in litteris orientalibus. Dissertatio autem altera alteri inferenda esset, si id nobis hic imponi pateremur, vt copiosius persequeremur hoc argumentum. Ne tamen omnino precario sumissemus videamur, quod probandum videretur, vel e Mosaicis libris totam Exodum enoluant ii, quibus nona haec sunt, et accurate perlustrant. Qui quaeso conciliari possunt, quae Exod. XII, 1-20, cum iis, quae ibid. 21-28 leguntur, nisi prorsus hunc in modum? Nec enim ita fuit obliuiosus scriptor, vt, quae paulo ante posuerat, nec meminisset amplius, nec legendo in memoriam reuocaret. Poteramus addere plura exempla, totidemque argumenta, si parum esset hoc loco, vnum illud adduxisse. Iam ebraico more loqui Euangelistas Graece, quis est, qui dubitet his temporibus? Quid est igitur, quod minus eos sibi inter se constare existimemus, vbi hac ratione, nec praeterea, dissident. Ita multae vna concidunt difficultates, quas nemo aliter commode sustulerit. Ita non tantum nihil minus, quam pugnancia afferunt Euangelistae,

vbi



vbi aut bini, aut trini, aut quaterni eosdem commemorant sermones Christi, sed et egregiam subinde alius ab alio lucem accipit. Ita vaticinium Domini de excidio Hierosolymorum et calamitate Judaicae gentis, adhuc permanente, item de fine seculi, post appropinquante apud Matthaeum, Marcum et Lucam, quos hic nemo sanus unquam negavit vnam eandemque orationem Magistri narrare, sibi conuenit. Ita denique vnam prorsus eandemque esse orationem, quam Matthaeus V. Lucas VI. refert, penitus cognoscitur. Initium igitur orationis, vt apud Matthaeum est, si exemplo rem illustratam cupis, in stilum relationum Latinorum vertere sic poteris: et docuit eos hunc in modum: *Felices esse pauperes animo, quod sit illorum coeleste regnum, felices eos, qui lugent, quod sint solatiu[m] accepturi* etc. Sic nihil impedit Matthaeus, quo minus *compellatio* ne vsum fuisse ab initio Jesum statuas, vt plane habet Lucas, et *regnum Dei* dixisse, cuius in locum licet sublitui, si stilo vtare relatiuo, *regnum coeleste*, quippe cuius est eadem vis et notio. Sed nullo modo haec ita dixerimus, quasi velimus ad has regulas versiones omnino confici. Induant potius versiones sacrorum librorum formam hebraicam et hellenicam, quo minus sit periculi a temeritate interpretum et intelligentiae mediocritate, ne veri sensus depraentur. Quid? ne ferrent quidem linguae nostrae versiones eiusmodi, vbi non licet, eadem in oratione transcribenda, nunc relatiuo, nunc directo stilo vti, quam variationem Ebraei omnino suppeditare videntur. Quamobrem vel e versionibus discant, qui origines nesciunt, bibhorum narrandi consuetudinem, vt sensum proficiant. De Luca *denique* etiam hoc valet, quod fere ex aliis cognouit, quae scripsit, qui, prout ipsi non omnia memoriter tenerent, quamquam mirificam Christum memoriae adiumentum suis pollicitus erat Joh. XIV. 26. sic nec tradere aliis poterant. Deus autem, agens scriptorem, quid habebat, cur nihil prorsus latere illum pateretur?

## §. VIII.

Sequitur alia quaestio, quam non possumus, quin deinceps tractemus, quae hanc in modum habet: *si non omnes illi triumviri his in rebus enarrandis persequuti omnino sunt temporis ordinem, at vnus tamen et alter inuenitur, qui prorsus id ita fecerit?* Ab initio equidem, antequam accurate eos inter se contuleris, nec temere reiiciendam censeo eiusmodi

D

fen-



sententiam (quod nunc admodum malle nonnullos video, multos suspicor) nec vero hanc ob causam aliquid ei tribuendum existimo, quod non sit credibile, tectum hoc Deum ipsum velle, nec vlla arte eruendum, quo ordine inter se subsequuta sint omnia ac singula, quae magnificentissime fecit Christus, sapientissime loquutus est. Nec vero id requiritur, vt ne dissentire inter se videantur Euangelistae. E scriptis igitur ipsis diiudicanda est haec quaestio. Ac primum quidem notandum est, vt non omnes, sic ne duos quidem simul pro iis posse haberi, qui sedulo, profusus in omnibus, tempus curauerint. Vt enim Matthaeum praetermittam, qui dinerfus totus est et a Marco et a Luca, ne hi quidem omnino consentiunt. Sed tamen quoniam inter hos plerumque conuenit, sunt, qui, quasi plura vota sequuti, temporis ordinem e Marco et Luca peti voluerunt, eique accommodari, quae Matthaeus refert, omnia. Dicendum est, quid de hac videatur sententia, quantumuis magna nomina a suis esse partibus patroni eius, nec falso, nec frustra gloriantur. Et illud quidem, quod vtro etiam numerare satagunt nonnulli, esset aliquid fortasse, si essent scriptores de multitudine Euangelistae et ii, quibus errare in scribendo non vitio inexpressibili daretur. Nunc nihil est omnino, diuinitus acti cum fuerint, alius aequae atque alius, ita, vt si fuisset propositum omnibus, hoc ordine pergere, aberrare a via nemo posset. Quid? si contra Matthaeus discrete definita tempora, atque erant definienda, si Marci Lucaeque esset temporis ordo. Ita vero Matthaens IX, 2. paralyticum (L.) sanatum seque aduocatum esse a Jesu IX, 9. aperte docet, postquam e Gergesenis ille reuertisset: Marcus et Lucas multo ante, quam iter mariimum, exhibent vtramque historiam. Leprosam sanatum voluisse Jesum, dicit Matthaeus VIII, 1. cum, oratione habita, e monte descendisset, quam orationem non paulo post demum Lucas refert, qua in re Marcum cum Luca esse, facile agnoscas. Non est, quod plura eius generis afferamus. Atqui eiusmodi temporum notationes, quas hic Matthaeus habet, migrare non licet, nisi admodum vagus et dissolutus et negligens esse consuetudinis loquendi velis. De tempore autem si sit quaestio, valere debet singulis in locis is, qui adiecta habet indicia temporis, eaque nec ambigua, nec nimis generalia. Quamobrem certissimum debebat esse, nec Marcum, nec Lucam ita penitus versatum esse hac in causa, vt temporis ordinem accurate referrent. Idem illud firmare videtur hoc etiam, quod subinde sine vlla designatione temporis narratione iuncta faciunt, quae argumenti similitudi-



ne contigua sunt, vt non temere coniectes, similitudinem rerum illis filium suppeditasse. Sic Marcus II, 1 - - III, 6. Lucas V, 17, - - VI, 11. non habent, nisi facta eiusmodi, in quibus inuenire sibi videbantur Pharisaei, quod reprehenderent. Sic emissionem et reditum Apostolorum eodem loco commemorant Marc. VI, 7. 30. Luc. IX, 1. 10. quae natura sua respondent inter se, sed non erant eiusmodi, quae ita protinus inter se subsequerentur, vt multo magis procliuè sit, iudicare, interea temporis accidisse, quae his rebus Matthaeus intericiit. Sed his vix opus erat, vt certissime, nobis quidem, persuasum haberemus, nec penitus et vbique Marcum et Lucam, nec in illis adeo, quae vterque eodem ordine exponit, tempora curasse. Quid vero illi, qui Lucam imprimis temporis obseruantissimum fuisse volunt, hoc ducti argumento, quod ipse ab initio I, 3. praefatus est, καθεξής se perscripturum Theophilo de rebus Jesu, quae ipse accurate percontatus cognouerat? Vt omittam, vel aliam vim vocis, quae satis nota est, hic magis quadrare, quis negauerit, satis stetitse Lucam promissis, qui de Johannis et Christi nascendi praeuinciatione angelica, de vtriusque natiuitate, de Jesu repraesentatione in templo, de sapientia duodecennis pueri, de munere Johannis, de baptismo et tentatione Christi, de factis eius et dictis, de itinere ad mortem subeundam, de calamitatibus ipsis eius et morte, de resurrectione et ascensione i. e. de summa rerum καθεξής disseruit, vt vt se habeant illa, de quibus loquuti sumus? Si quis autem hanc vnam ob causam, quod superfstitiose vrgere vim voculae constituit, auctoritatem diuini scriptoris in discrimen adducere non veretur, quod ita prorsus fieri necesse est, si, quae ante diximus, contuleris: nae cum eo ego disputare amplius nolim. Quidni etiam omnia prorsus et *singula*, quaecumque Jesus vel fecit vel dixit, hoc volumine comprehendisse Lucam dicunt, qui se scribat I. 3. πᾶσαν ἀνάθεν ἀκριβῶς περιηκόμεθα διηγεῖσθαι; quique adeo omnia se consignasse litteris post etiam testatur Act. I, 1?

## §. IX.

*Est igitur aut Matthaeus pro eo habendus, qui in rebus Christi enarrandis sit penitus et omnino sequutus temporis ordinem, aut e triumuiris nemo.* Sitne ita, an contra, videndum est, nec decet, antequam rite exploraueris omnia, alteram in partem cupidum esse, ab altera abhorre. Nihil enim sine inuestigatione diligentissima proficitur. Illud vix est,



quod moneamus, ne quasi ab hac disquisitione profus remotos quis velit Marcum et Lucam, quippe quod nonnisi de Matthaeo agatur. Illi enim non carent omnino temporum iudiciis, quae ex linguae consuetudine intellecta, et vera sint oportet, et utilitatem hic non exiguum habent.

At enim, operacne pretium esse dicas, si quis eo animum contulerit, vt, subducendis rationibus pluribus, efficiat, Matthaeum potissimum de tempore in tempus narrationem rerum Christi perduxisse, quum vel ex vno altero loco apparere videatur, nihil minus esse verum? Nihil ad nos quaestiones eius generis, qui plane nihil volumus ante definire hac difficili in causa, nisi ponderatis, quoad fieri potest, argumentis omnibus. Ne tamen ab initio statim fraudi nobis sit, quod asserri contra solet, age illud ipsum videamus, quale sit. *Marcum* prohibere dicunt, quo minus recte cuiquam vel venire in mentem possit hac cogitatio de Matthaeo temporis aucupe vigilantissimo. *Marcus IV, 35. enim finita narratione de parabolis, a Christo populo propositis (AA.) pergit hoc modo: Και λεγει αυτοις εν εκεινη τη ημερα ο ψευδης γεννημενος διεδωκεν εις το περαν, tumque factum, esse docet illud, quod J. signauimus, quod quidem multo ante Matthaeus Cap. VIII, 18 -- enarrauerat, quam parabolarum mentionem fecit, quae Cap. XIII. deum ab eo commemorantur.* Nihil itaque esse, quod, a Matthaeo temporis rationem ita accurate habitam esse, inducamus animum cogitare. Atqui etiam atque etiam testatum volumus, auctoritate apud nos diuinos scriptores tantum posse, quantum nihil praeterea, nec villo modo, nisi rationes ex ipsis Euangelis sint in promptu, fixum animo et constitutum nobis esse, summa ope niti et contendere, vt historiam rerum Christi omnium continuam, quae nunc, vt vidimus, e Matthaeo suspensa est, posse confici, aliis persuadearum. Sed eam ipsam ob causam, quod parem omnibus Euangelistis tribuimus auctoritatem et testimonii vim, ne illud quidem, quod e Marco allatum est, ita profus se habere, vt arbitrantur multi, confidimus. Nec vero Wistoniae figmenta, hic est, quod expectent lectores. Ita versabimur etiam hoc in loco, vt dexteritatem facile bonis omnibus probemus.

Sunt, qui, licet omnes Euangelistas temporis obseruantissimos fuisse non opinentur; tamen, vt nec hic Matthaeus temporis in narratione neglecti infimuletur, nec Marci testimonium posthabendum sit, eandem parabolam bis allatas esse dicant a Magistro, primum, antequam in  
Gada:



Gadarenos traiceret, teste Marco IV, 1. 35. iterum post refutatam Phari-  
 faeorum blasphemiam de Beelzebule adiutore in pellendis daemonibus  
 Christi, vt habet Matthaeus XII, 22. XIII, 1. Dura ratio et indigna, quam  
 sequantur ii etiam, qui alias abhorrent ab eiusmodi rerum multiplicatio-  
 nibus. At vero nostram conditionem et fortunam fortasse suspicere valde  
 incommodam esse, qui, autequam aggressi sumus, Matthaeo temporis  
 vbique ordinem vindicare, iam hoc agimus, vt et Marco satisfiat et Mat-  
 thaeo eius hic ordo constet. *Duplicandae huius de parabolis historiae tex-  
 tus siue Matthaei, siue Marci, siue Lucae etiam, nec necessitam affert, nec  
 ansam, sed ne licentiam quidem.* Non est, quod esse prorsus easdem dic-  
 camus parabolae, quae a Matthaeo pariter, atque Marco afferuntur. Ne-  
 mo enim negauerit, quid ne id quidem ii negant, qui sunt huc vsque a no-  
 stris partibus, non licere alias eandem sermocinationem longiore, eodem  
 in loco, iisdem omnino rationibus externis habitam, duplicare. Sed hoc  
 velim animaduerti, non ab initio Christum consueuisse parabolae obse-  
 riuiculae proponere populo, id quod plane e Matthaeo cognoscitur XIII,  
 10. vbi quaerunt ex eo discipuli, nouitatem orationis mirantes, quid esset,  
 cur parabolis doceret: et ipse Christus eandem in modum, allato Iesaeie  
 vaticinio, respondet. Iam illi, qui duplicant historiam, non possunt,  
 quin Matthaeum dicant de eo tempore loqui, cum iterum et quidem eadem  
 parabolae afferrentur. Atqui Marcus, quem volunt hic priorem esse Mat-  
 thaeo, huic narrationi (quod mirere) hanc coronam imponit IV, 34. *Χω-  
 ρεις δε παραβολαις ην ελαλει αυτους,* vt fere existimandum sit, non semel, sed lae-  
 pius siue potius semper eo tempore Christum parabolis docuisse concionem  
 populi. Quid igitur apud Matthaeum, quasi de re adhuc incognita, et ne  
 fando quidem audita quaerunt discipuli? Idem Marcus cum Luca, quos  
 anteuertere hic Matthaeo, si bis parabolae eadem propositae fuerunt, existi-  
 stimes necesse est, explicatam a Iesu rogantibus discipulis parabolam de  
 quadruplicate tellure, perhibet, et in fine ibid addit: *κατ' ιδιαν δε τοις μαθη-  
 ταις αυτου επειλε παντα.* Qui sit igitur, vt easdem parabolae ne tum qui-  
 dem intelligerent, cum iterum audirent? Haec si cui argumentorum fati-  
 tis non sunt, vt vnam prorsus esse historiam ex eodem tempore existimet,  
 nec nisi alio ordine a Matthaeo, alio a Marco et Luca narratam, per nos  
 suo vtatur acumine. Alios inuenimus indices, qui, cum agnoscant *vnita-  
 tem historiae*, vt vestigia nostra ulterius persequantur, rogandi sunt. Nec  
 vero iam nunc id agitur, an omnino in omnibus Matthaeus temporis or-  
 dinem



dinem seruauerit, sed primum hac vna in re Apostolum cum Marco committimus. Neque etiam, vel si vna sibi satis esset, vnum constituemus ab altera parte, sed et ipse Marcus cum Luca auxilium illi feret.

Vis omnis *Marci* in eo est, quod ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ dixit Iesum naui in Gadarenos traiecit. Pro *Matthaeo* pugnat haec series rerum inter se consequentium immutabilis: *Iter in Gergesenos* s. *Gadarenos*, Marc. V, 21. 22. Luc. VIII, 40. 41. *reuersio et resuscitatio filiae Jairi*, Marc. VI, 1. *Iesus* Matth. XIII, 1. 36. 53. *Iesus*,

*Capernaumo profectus Nazaretham venit.*

*propositis parabolis et coram discipulis explicatis, domo profectus Nazaretham venit.* Matthaeus ita haec iungit, vt, si vel maxime existimes, non recta Iesum Nazaretham profectum, non possis tamen existimare, antequam veniret Nazaretham, Capernaumum reuertisse, quod profus statuentium est, si post parabolas propositas et explicatas putes eum illico in Gadarenos traiecit. Duplex iter in patriam Capernaumo factum, alterum Matth. XIII, 53. alterum Marc. VI, 1. nisi parabolarum duplices, tantumdem Marco nocebit. Vnum autem idemque si esse existimes, Marcus ipse VI, 1. iis verbis: καὶ ἐξῆλθεν ἐκεῖθεν καὶ ἦλθεν εἰς τὴν πατρίδα αὐτοῦ, Matthaeo XIII, 53. prodest, vt ne existimes, terras ante et maria obiisse Iesum, antequam Nazaretham veniret. Quid? et Matthaeus his verbis: \* μετῆρῶν ἐκεῖθεν et Marcus hoc sibi volunt, Iesum Capernaumi non amplius domicilium habuisse, quod vel ipsa sequentia aequid vtrumquo docent. Sed nec ipsa, de parabolis in Matthaeo quae extat narratio, permittit, vt ita, quemadmodum solet, illud *Marci* ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ intelligas. Pergit Marcus post illa, quae supra adduximus, hoc modo: καὶ ἀφῆντες τὸν ὄχλον παραλαμβάνουσιν αὐτόν, ὡς ἦν ἐν τῷ πλοῖῳ. Matthaeus autem post propositas populo parabolas negat, in naui sine ad mare mansisse Christum, sed domum abiisse, et sic turbam eo tempore reliquisse XIII, 36, quod *Marci* his verbis nec subest, nec, si verum ab illo secundum linguarum consuetudinem dictum putes, interitici cogitatione potest. Quis enim abitum hic ex naui domum, indeque in nauem reditum cogitet? Marcus narrationi de parabolis hunc finem facit: κατ' ἰδίαν δὲ τοῖς μαθηταῖς ἐπέλεγε πάντα. Hoc autem, si *Matthaeum* conferas, non potest existimari in naui factum, sed domi. Quid igitur ii, qui

\* Ita nuncquam non ἀπῆρῶν LXX adhibent, cuius rei exempla afferre superuacuum est. *Marci* illud ἐξῆλθεν ἐκεῖθεν lucem accipit vel c. VI, 10. ii.



qui ex innueterata sententia interpretantur Marci verba IV, 35. 36. hic afferent, vt dirimant hanc litem, in qua cadat Marcus caussa necesse est. Matthaeus enim praeter ea, quae diximus, etiam illud habet, quod accuratius de parabolis exponit.

Ergone fallax omnino Marcus, an ipse fallitur? Id ita fere cogentur confiteri, qui ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ latine vertunt: *illo die*, hisque voculis latinam etiam notionem subiciunt. Sed quae tanta, quaeso, in tanto periculo, hellenisticae linguae, quae ex ebraeo fonte fluxit, seu ignoratio, siue potius, vt malim, obliuio? ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, quod nemo mihi in dubium vocauerit, hebraicum est בְּיוֹם הַהוּא. Iam quaero ex iis, qui calant hebraice, si Marci esset scriptum Euangelium hebraice, vtrum eodem in loco, vbi nunc legitur ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, hebraicum istud de *die* quodam certo et definito intellecturi sint? Non crediderim, sed potius, si res ita ferret, *diei* notionem facile deserturos suspicor. *Tempus* omnino intelligendum censerent, et vertendum: *illo tempore*. Nec male, quippe id permitte, et postulante linguae consuetudine. Id etiam allatis exemplis vt demonstraret, quisquam volet? Neminem suspicamur. Sed tamen, vt nec imperitorum incurramus reprehensionem, pauca quaedam citabimus. Sic יוֹם addito aut verbo aut substantiuo Gen. II, 4. Ef. XIII, 6. addito זֶה Gen. XXXIX, II. addito הוּא denique I Sam. III, 2. LXX. ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ Hof. II, 23. ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ. Sic etiam in N. T. iam ἐν τῇ ἡμέρᾳ iam ἐν ταῖς ἡμέραις de re eadem Luc. XVII, 22. 24. 26. 31. Sic adeo Marc. II, 20. si argumenta grauissima sentias, cum multis codicibus et versionibus legendum siue ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, siue ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, ita quidem, vt referantur haec verba ad illa, quae proxime ante extant, ἐλευσονται δὲ ἡμέραι. Non itaque hic in auxilium eiusmodi notionem ad explicanda haec verba vocamus, quam quis repudiari a loquendi vsu recte dicat, sed, quae saepe subest illis vocibus. Quid? quae in antecedentibus Marc. IV, 34. dicuntur: καὶ ἰδὼν δὲ τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ ἐπέειπε πάντα, vel si id non doceret Matthaeus domi factum, inuitat hunc sensum. Sed enim recte hic quaeritur, quale sit id tempus, quod innunt voculae ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ? nec erit arduus labor, satisfacere rogantibus. Quale sit, patet ex eadem historia, quam his verbis infit referre Marcus, si, quae ante narrauerat, conferas I, 16. II, 13. III, 7. ita IV. I. illud dico omnino tempus, cum circa mare verlaretur, siue potius in naue sedens adstantem in littore hominum turbam erudiret, vt nauem etiam sibi praesto esse vellet Marc.



III, 9. Vertam igitur et circumloquar: *et dixit illis aliquando eo tempore, cum, domicilium Capernaumi habens, populum e nauis multum doceret etc.* In iis enim, quae non ita multo post VI, 1. Marcus habet, migrasse Capernaumo et eo omni tractu, Jesum dicit. Hic tamen *aliquando* illud potissimum, erunt, qui perperam adiectum dicant: id quod pariter ex indole Ebraici sermonis iudicandum est. Eodem prorsus modo videbunt I Sam, III, 2. haec verba adhiberi. Sic breuitatis amantes Ebraei alias etiam eiusdemmodi non curant voculas, quas alia lingua non facile omiserit cf. Marc. II, 23. IX, 33. Luc. V, 1. 12. it. 2 Sam, XXIII, 10. II. 15. Sed potest fieri, vt illud etiam obiciant, quod addit dehinc Marcus *ὁμοῦς γέγονεν*, quae quidem verba certum et a scriptore definitum diem, quem spectent, requirere videntur. Hic poteram exempla vel e vernacula lingua. proferre, ne videar nimius in philologicis, nonnisi ad Gen. XVIII, 1. prouoco. Confirmat illa, quae diximus, etiam Lucas, VIII, 22. post narrationem de parabolis, ita pergens: *καὶ ἐγένετο ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν.*

Ita satis longi fuimus in tanto, vt quidem videbatur, Euangelistarum desensu componendo. Meliorem rationem si quis ostenderit, nos facile in suas partes pertraxerit. Hoc autem velimus considerent ante omnia, qui talia aggrediuntur, non Matthaeum versari in angustiis, sed Marcum, si semel, nec amplius, a Domino allatae sunt parabola. Quod si autem aliam Matthaei XIII, 1-52. aliam Marci IV, 1-34. historiam esse opinere, quod dare nullo modo possumus, multo etiam minus nos perdituros operam praedixeris, qui in Matthaeo celebratum illum temporis ordinem nunc quaerimus.

### §. X.

Iam hoc perfecto et concluso, nullo modo Marcum impedire, quo minus Matthaeus eo ordine videatur quaeque narrare, qui rerum ipsarum fuit inter se subsequens, facile plurimi in eorum concesserint sententiam, qui et tribuunt Matthaeo illud consilium, idemque ab eo effectui datum existimant. Praeuiuit hanc sententiam recentiori memoria *Bengelius*, vir optimus, doctissimus, accuratissimus, et, argumentis satis idoneis confirmatam, adhibuit ad harmoniam, vt dicitur, euangelistarum consiciendam. \* Veram esse, nec vlllo modo indignam, quam omnes sequantur, ratione et  
via

\* J. U. Bengels richtige Harmonie der Evangelisten 2. Ausgabe Tübingen. 1747.



via demonstratum nunc imus. Multo plurimas habet Matthaeus temporis notationes, iis in locis saepe, vbi nihil addunt de tempore Marcus et Lucas, siue eodem siue alio ordine pergentes. Exempla habes *Matth. VIII, 1.* coll. *Marc. I, 40.* *Luc. V, 12.* *Matth. IX, 1. 2.* coll. *Marc. II, 1.* - *Luc. V, 17.* *Matth. XII, 9.* coll. *Marc. III, 1.* *Luc. VI, 6.* Matthaeus etiam subinde accuratius tempus notat, quam Marcus et Lucas, licet ne illi quidem omnino id facere negligent *Matth. IX, 18.* coll. *Marc. V, 22.* *Luc. VIII, 41.* *Matth. XII, 46.* coll. *Marc. III, 31.* Quid? habet quaedam Matthaeus, quibus quae praecesserint, ex ipso non cognoscas, nisi, quod in quaestione est, iam constituto, sed tamen non migrasse eum temporis ordinem e reliquis facile intelligas e. g. *Luc. VII, 1.* *Matth. VIII, 5.* *Luc. VI, 20.* *Matth. V, 1.*

Est etiam ex his certissima conclusio, Matthaeum, sicubi vocibus utitur, quae non minora tantum temporis spatia discernere solent, sed item maiora, id quod e nexu sermonis diiudicandum est, strictiore sensu loqui. Nam, praeterquam quod vberior est in iis rebus enarrandis, quae factae sunt, dum Capernaumi domicilium Jesus haberet, quid sibi vellet historicus, si post accuratissimas notationes temporum, easque frequentissimas, quibus etiam in sequentibus abundat, ἀπό τότε, ὅτε ἐτέλεσε τῆς λόγῃς τῆς τῆς, καταθῆναι αὐτῷ, παραχρῆν ἐκείθεν, τότε, ταῦτα αὐτῷ κελύπτει, αὐτῶν δὲ ἐξέρχόμενον, ὅτε ἐτέλεσε διατασσῶν, τότε ἤρξατο etc. intelligeret suum ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ non nisi de eo tempore, quod maiore ex parte in Capernaumiticis finibus transegit Propheta maximus? Quamquam ne apud Matthaeum quidem cogit vlla ratio, ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ accipere de eodem plane die.

Sunt alia non leuioris ponderis, quae, quum non item in Marco et Luca inueniantur, satis docent, temporis ordinem a Matthaeo studiose seruatam. *Bis* tradit ille, Jesum per Galilaeam omnem iter fecisse *IV, 33* -- *et IX, 35* -- *XI, 1.* vbi non possis, quin exiis, quae inter priorum itineris mentionem factam et posteriorem coniecit scriptor, pro iis ab illo venditari, quae interea temporis accidisse nouerat. Quod ni ita se haberet, ne in errorem lectores induceret, vno eodemque loco de itineribus Christi expositorus erat, aut aliter cauisset. *Bis* intra illud temporis spatium, quod in Galilaea peregit, Nazarethae fuisse Jesum, primum, antequam Capernaumi sedem figeret, innuit *IV, 13.* secundum, relicto hoc domicilio, *XIII, 54.* enarrat: quid primum ibi illi factum sit, Lucas, vt prorsus vi-

E

detur,



detur, IV, 16 -- memoriae prodidit, quid secundum, cum ipso Matthaeo Marcus VI, 1. - Illorum neuter utrumque memorant. *Bi* cohaerentia cum Beelzebule insinuatam a Phariseis Jesu, Matthaeus tradidit, primum tacuisse, secundum inimicos homines gravissime castigasse, id quod optime decebat Dominum IX, 34. XII, 24. Quae interiecta sunt, pariter pro iis sunt habenda. quae interea enecerant. Id sibi volunt *numerorum* signa, quae in tabula, ex Matthaeo confecta, his rebus adiecit.

Habent illa, quae diximus, utilitatis plurimum et fructus ad diiudicandam controuersiam, sed tamen rem omnem causamque non continent. Quamobrem nunc prouocamus lectores, ut hanc omnem Euangelii, cuius auctorem Matthaeum habemus, sectionem perlustrant, et primum quidem praecipue a Cap. VIII, 18. Continua narratione, adiectis quibusque rebus temporum indicitiis, pergentem inuenient Euangelistam vsque ad Cap. IX, 34. Deinde pariter eodem modo a IX, 35, ad XI, 1. Tum vero inde ab XI, 2. vsque ad XIV, 33. ubi finem habes illarum rerum, quarum de ordine disceptatur, sine potius ad XVI, 12. De prima parte post videbimus. Illae sectionculae singulae conflatae sunt e particulis eiusmodi, quarum, si tempus species, immutare ordinem sine temeritatis crimine non possis. Rem itaque omnem confecerimus, si, quae prima sunt cuiuscumque sectionis, non posse illis praeponi demonstratum sit, quae sunt postrema antecedentis. Hic ea, quae paulo ante diximus, in auxilium aduocanda sunt.

Ac primum, ne quem forte turbet, quod post v. 28. IX. Caput X. incipiunt editiones vulgares, Caput illud archissime cum postrema parte Cap. IX. cohaerere, monemus, nec ab ea posse diuelli. Recte igitur nonnisi tres sectionculas fecimus inde a Cap. VIII, 18. huius periodi. Iam alterius earum initium est iter illud secundum Jesu, per omnes vrbes et vicos factum. Si igitur accipias, quod ante diximus, ex iis, quae inter haec itinera narratione interiecta sunt, nihil villo modo posse pro eo haberi, quod post alterum demum inter euenerit: effectum est, omnia, quae duabus prioribus sectionculis continentur, eadem ratione inter se sequuta esse, ut narratur ab Euangelista. Sed enim vix erat, quod sigillatim illud quidem doceremus. Est enim a IX, 35. vsque ad XI, 1. vna continua historia et loquitur scriptor, quod negare nemo possit, XI, 1. vno eodemque longiore de itinere. Quamobrem illud potius audacter dicendum erat, hanc ipsam ob causam non posse quidquam e sectioncula tertia, quae quidem est omnium maxima, iis immisceri, quae ante narrata sunt. Legati



gati itaque Johannis siue in itinere illo ipso offenderunt Jesum, siue redactem ex itinere. Eodem illo in itinere Naine Jesus iuuenem illum reuocasse in vitam videtur, id quod Luc. VII, 11 - commemorat, vt recte responsum tale ferrent discipuli Johannis: *νεγοι εζηγορας* Matth. XI, 5; Luc. VII, 22. coll. 19. Ante enim iam Jaira filia vitam a Jesu receperat Matth. IX, 18. 25. et id quidem proxime ante illud iter factum esse, tradere videtur Matthaeus IX, 27. 32. 35. Quae nisi hunc fere in modum accipias, non habebat Jesus, cum discipuli Johannis responsum ab eo peterent, ad quos provocaret mortuos in vitam a sese reductos. Sic plane, nec vllis artibus, doctuisse videmur, quaecumque prodidit Matthaeus memoriae inde a Cap. VIII, 18. vsque ad XIV, 36. et ulterius eo prorsus ordine signata ab eo litteris esse, qui rerum ipsarum fuit inter se consequentium.

Superest prima pars huius periodi, quae a IV, 12. - VIII, 17. porrigitur. Hic quidem omnino difficilium est definire, quid statuendum sit, sed tamen nec omnia dubitationem habent, nec quidquam est, quod non probabili saltem ratione iudicari possit. Quae ab initio lectionis extant vsque ad IV, 22. nullo modo credibile est, alienum in locum coniecta esse ab Euangelista. Nam in iis, quae sequuntur, de primo itinere Jesu per Galilaeam facto breuiter exponit Apostolus, a quo diuersam est illud, vt diximus, cuius IX, 35. - fit mentio. Sed montana oratio, quae inde a Cap. V, 1. per VI, et VII. continetur, cum iis, quae proxime post facta sunt VIII, 1. 5. coll. Luc. VII, 1. tam vero sanatio foetus Simonis et, vespertino tempore eiusdem die, daemoniacorum aliorumque, qui morbis laborabant, non pariter in aperto est, si tempus species, quem locum vere teneant. Non tamen nec illo itinere priora fuisse, nec altero posteriora, eadem ratione satis docent. Hoc quaeritur, finne, antequam in Gergesenos naui veheretur Jesus, facta? Ne quid de iure nostro remittamus, primum hoc monemus, non facile Matthaeum pro eo habendum esse, qui vsquam neglexerit temporis ordinem sequi, tot documentis iam probatum temporis consuetorem. Nunc de iis ipsis videbimus.

Sanationem foetus Petri cum illis, quae, non tam apud Matthaeum, quam apud Marcum I, 35. - et Lucam IV, 42. - illi adiuncta sunt, non recte post reuersionem e Gergesenis reieceris, quippe vltimus etiam reuertiendam, quod aegerimus Marcus et Lucas permiserint. Quid? Jesum, ex d. mo Petri cum clam omnibus in solitudinem sese subtraxisset, ibique exquisitus a multitudine, quam Petrus ducebat, ad alia oppida perrexisset,



et redux inde, ut credibile est, ingenti hominum turba esset circumdatus, commode Matth. VIII, 18 - navigium, in quo labore fessus quiesceret, e conspectu multitudinis eripit. Praeterea non ita diu poteris existimare iam fuisse Capernaumi, cum in domum Petri e synagoga diuiceret Marc. I, 29. Luc. IV, 38. ubi noua videbatur daemonum profligatio ib. Marc. 27. Luc. 35. Idem illud et eiusdem die vespertinae sanationes vetant.

Reliquum est, ut de oratione etiam montana et iis, quae adiuncta illi sunt, pauca notemus. Hunc denique esse difficillimum in Matthaeo locum, qui quidem huc pertinet, recte dixeris. Ante habitam orationem Lucas VI, 12. 13. -- creatos Apostolos tradit, in quibus est ipse Matthaeus, et a Luca numeratus. Ille autem multo post huius enarrationem orationis se demum a telonio auocatum commemorat. Itaque fuerit contentior tantae dignitatis Matthaeus, ut Apostolus iam constitutus, qui cum Jesu esset Marc. III, 14. ad telonium rediret? Non dissimulamus huius vim difficultatis. Quid ergo? *Non facile Matthaeum existimare licet tempus neglexisse.* Quando habita sit illa oratio, ignorare non potuit, sine adfuit ipse auditor, *sive non nominatum et praesens Apostolus eo iam tempore creatus.* Quid? Petrus etiam, hoc ipso nomine non paulo ante a Jesu insignitus, et Andreas Joh. I, 41. -- qui cum Jesu ante fuerant, adeoque ad nuptias cum eo inuitati ib. II, 2. et fidem iam tum in eo collocantes II. ad purificationem, de victu solliciti, redierunt, quid? tantum absuerunt, ut cum illo esse ubique vellent, ut rogarent, ne secum maneret Luc. V, 8. Addere si quis hoc etiam voluerit, auaritia criminis publicanos male audiuisse et praeterea, siue redimere solerent a Romanis vectigalia, siue \* nonnisi operam Publicanis Romanorum in exigendis portoriis locare (si tamen ex Galilaea, tum quidem, Romanorum erant hi reditus) non potuisse commode quouis tempore deserere negotium, quippe, quod siue redemptionis vectigalium pretium integrum soluendum esset, siue ratio administrationis reddenda, non difficulter id a se impetrauerit, Matthaeum, vel Apostolum iam designatum, rediisse ad tempus ad pristinum vitae genus, tum vero ab ipso telonio auocatum a Magistro; inuitatis ad conuiuium reliquis publicanis valedixisse. Eo autem ex loco si moueas orationem montanam, nullo tamen modo possis ultra iter illud secundum IX, 35. -- reuocare. Ex eo enim iam emissi sunt Apostoli X. Sed enim videntur potius Pharisei ho-

\* vid. Cl. Krehlii Libell. de usu historiae Rom. in N. T. interpretatione sect. II. C. III.



mines primam in Prophetam maximum indignationem ex hac ipsa oratione concepisse. Ita hoc saltem effecisse videmur, vt ne cui liceat, confidenter pronuntiare, vsquam in rebus Christi enarrandis, quae in Galilaea sunt gesta, antequam prope Caesarem XVI, 3. instans sibi supplicium discrete praediceret, Matthaeum a temporis ordine discessisse.

## §. XI.

Nunc vero de *Marco et Luca* erunt, qui quaerant, quemnam illi sequuti sint ordinem. Satis erat, respondisse, consignatam esse litteris hanc partem rerum Jesu Christi a Marco et Luca commode et ad finem, quem praefixum habebant, aptissime. Illud enim intererat omnium, scire, quae gesserit Jesus, quae loquutus sit, quo tempore gesserit quaeque et loquutus sit, nihil admodum referebat. Quamobrem in partes quasdam distributa vita omni Christi, his in terris acta, vbi cognitum habebant tempus singularum rerum temporis ordinem sequuti sunt, vbi ignorabant, si nec Spiritus Sanctus a quo agebantur, certiores redderentur, ita contexerunt narrationem, vt alia ad alia applicarent, prout similitudine inter se gaudent. Id sibi voluit illa signa, quae tabulis, e Marco et Luca confectis apposuimus. Vbi finem id solum habebat, addiderunt alia, siue alia siue nulla similitudine inter se contigua, modo ne incongrua esset consequentia. Quae si cui minus placent, licet aliter eorum sibi methodum animo describat. De singulis si dicendum est, *Marcus* post praemissam breuem mentionem de rebus Johannis, baptismo Christi et tentatione, primum omne illud tempus concepisse animo videtur, dum Capernaumi Christus domicilium haberet VI, 1. iisque in rebus delineandis ita fere versatur, vt diximus. Quae facta sunt ab eo inde tempore, siue quod ipse interfuit, siue quod accuratius eorum inter se consequutionem aliunde cognouerit, temporis sequutus ordinem, exhibuit. *Lucas* vero, longius ante remotus a Christo, inde a IV, 14. omne omnino illud tempus mente complexus esse videtur, quod, postquam aggressus erat docendi manus, in Galilaea peregit Christus. Hic in enarrandis iis rebus, quae, diligentissime percontatus, ex aliis cognouerit, omni illa ordinis varietate utitur, quam ante descripsimus, ne in iis quidem, quae dehinc commemorat, vt indicare licet, temporis ordini addictus. Excludimur temporis angustia et spatii, quo minus copiosius de his dicamus. Sed nec propositum



tum nobis erat, sigillatim de omnibus exponere. Illud autem, quod volumus rationibus firmioribus docere, nec Marcum nec Lucam his in rebus temporis ordinem vnice persequutum esse, sed, si quisquam, Matthaeum, id si idoneis rerum arbitris probauimus: non male collocatam esse hanc a nobis operam arbitrabimur.

PRAENOBILISSIMO ET DOCTISSIMO  
M V N S T E R O

S. P. D.

IOH. PETR. ANDR. MILLERVS.

Quantum TE amem, Optime MÜNSTERE, idque propter animi integritatem pariter atque ingenii dexteritatem et doctrinae copiam atque elegantiam, quam per hos annos summa diligentia consequutus es, quantum S. Vener. FREYLING-HAVSENIO debeam, a quo est haec inter nos notitia, ne pluribus quidem verbis, satis dixerim, ideoque, ne verbosiozem epistolam frustra scripissse videar, his ipsius dixisse satis sit. Nec vero apud alios mea commendatione, quam exigui ponderis esse intelligo, nec ferme alius cuiusquam, opus TIBI est. Ipsa enim illa, quam scribendam et defendendam suscepisti dissertationem, nec male scripsisti et egregie, vt praeuideo, defendes, efficiet, vt optime de TE omnes non sperare solum, sed et confidere recte possint. Gratulabundus itaque TE iam appello. Gratulor feliciter per actum hoc tempus, gratulor hanc disputationem, gratulor discessum in patriam, sed, quod primum esse debebat, gratulor ILLVSTRISS. PATRONVM, cuius numquam satis mihi laudare potuisti in TE liberalitatem et insigne de bonis omnibus et litterarum cultoribus bene merendi cupiditatem et consuetudinem, quippe, qui ipse bonas literas in amoribus et deliciis habet. Quod reliquum est, opto et precor, vt plurimum fructus in ecclesia Iesu Christi feras, nec vumquam pereunris. Ita vale meque in posteram etiam ama. Dab. Halae a. d. XX. Iun. MDCCCLXX.

DOCTIS-



DOCTISSIMO AVCTORI HVIVS LIBELLI  
SVAVISSIMO SVO MÜNSTERO

S. D. P.

I. G. F. VEBELHACK

BARVTHINVS.

**M**ultis ex causis dissentientis minus recusare potuissem, quod mihi amicissime iniungere non dubitabas. Scis enim, quot et quibus laboribus quotidie distringar, nec TE fugit, quantopere discessus ex hac florentissima literarum sede animum inquietet. Ad hoc: infirma valetudine vtor, quae sic frangit animi vires, ut vix ferendo oneri par esse videar, quod imponis; nec ea mihi est doctrina et copia rerum, ut imparatus in tam sancto et venerabili loco apparere possim, ubi non nisi bene cogitata et disposita ornate dicere decet. Sed nolui tamen precibus TVI humanissimis diutius refragari; debeo enim studiis nostris communibus, acbeo modestiae TVAE, amori et amicitiac, honestissimis ex causis inter nos contractae et constanter seruatae, ut ingenii TVI felicissimi, et doctrinae insignis non otiosus plane testis adsim, sed aliter sentiendo in tempus apertam TIBI campum, in quem cum laude excurrere possis. Auidissime legi libellum TVVM, quem ut magno et assiduo scripsisti animo, sic maximo defendere insiliuis. Mirae placuit consilium scribendi. Argumentum sine praecipue academica descriptione dignum videbatur; est enim subtile, lubricum, grauissimum, vsu insignie nec nostris etiam temporibus satis excussum. Quid maius est, quam ex quatuor commentariis verum Christi, qui supersunt, historiam plenam et continuam texere velle post magnorum virorum pios, sed infelices conatus? Quid difficilius, quam historicos sacros in tanta modestiae et opinionum varietate et vi componere? Quid laudabilius, quam rei Christianae hostibus columniandi materiam eripere? Quid vtilius denique legenti aurea illa supremi doctoris dicta et res gestas, quam si sciat, quo ordine se excipiant et collocari debeant. Quae enim sunt, cum iis, quae antecedunt, arctissime cohaerent et lucem inde accipiunt. Quid de tractandi ratione, de libello ipso dicam? Pronuncium de eo et eius virtutes enarrem? An taceam? Tacere tutius videtur; primum enim studia et amorem in amicos facile posse omnes iudicii aculeos hebetare ac recundere credunt, deinde quaerunt, qua consoria grauitate polleat, qui



qui iudicis personam egerit. Docti igitur viri iudicent, quorum iudicia scriptione TV A experiri voluisti et penes quos tantum est summa iudicandi auctoritas. Imaginor iamiam et praesumo gaudium, quod ex laude et commendatione primitiarum ingenii TV I habebis maximum. Caeterum gratulor doctrinae et vitae academicae bene actae documentum pulcherrimum, gratulor adfensum et admirationem, dignissima studiorum praemia, quae docta TV A non minus, quam modestae defensione libelli caeteris virtutum Tuarum laudibus accedent. Vale. Dabam Halae d. xx. Iunii clo 1o cxx.

PRAENOBILISSIMO ET DOCTISSIMO  
M V N S T E R O  
IOAN. DAN. BRECHT

s. p. d.

**H**oc tempore, Amicissime, cum egregio me denuo, sub ipsum a nobis hinc discessum, beneficio adficere voluisti, non possum, quin publice glorier de TV A in me amicitia et familiaritate, quae ex multo satis tempore mihi TE cum intercessit, quae honori et commendationi mihi apud omnes, qui TE norunt, semper erit. Sed luelluosum mihi tristemque diem, quo TV Vale supremum dices, nec, dolor, votis ullis retardandum. Patria auide expectat, et arua illa dulceta complecti TE cupiunt, qui nunc etiam tot tantisque animi ingenii, et doctrinae documentis, hanc TV AM dissertationem potissimum dico, immotuisi, quibus egregie de TE sperandi argumenta exhibueris. Tua itaque nullo modo scibilis fortuna, quid? eritne unquam TIBI, qui semper habuisti Paulini illius dicti in animo recentem memoriam: ἡ ἐπιστολὴ πρὸς τὰ πάντα ὠφελίμος ἐστίν, ἐπαγγελίαν ἔχουσα ζωῆς τῆς νου, καὶ τῆς μελλούσης. Quamobrem gratulabor potius TIBI honorificum discessum, reuocato a dolore animo, ut amicissimam mihi seruare mentem ne dedignere, rogabo, ut rectissime semper valeas, optabo et precabor. Dab. Halae d. XX. Iun. MDCCLXX.














Fd 2287


X 2284284

110









23

DISSERTATIO HISTORICO PHILOLOGICA  
DE  
ORDINE RERVM CHRISTI  
IN GALILÆA

GESTARVM

Matth. IV, 12 - Marc. I, 14 - Luc. IV, 14 -

QVAM

AMPLISS. PHILOSOPH. ORD. AVCTORIT.

PRAESIDE

VIRO CLARISSIMO, DOCTISSIMO

DN. JOH. PETR. ANDR. MILLERO

A. M.


A. D. XXII, JUNII MDCCLXX.

ERVDITORVM EXAMINI SVBICIET

AVCTOR

JOHANNES GOTTLOB MÜNSTER

PRAVSNIT. SILESIVS.



HALAE MAGDEBVRGICAE,

Typis STEPHAN. GODOFR. LEHMANNI, ACAD. TYPOGR.

